

nem naturalem, nec cognosci potest, nisi supernaturaliter per lumen fidei, juxta illud Apost. 1. Cor. 2. *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae preparavit Deus tuis, qui diligunt illum, nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum; atque parvuli carent cognitione supernaturali, quae hic in nobis plantatur per fidem, quia nec hic habuerunt fidem actu, nec Sacramentum fidei susceperunt ergo.*

Dices: Tametsi pueri hic non habuerint fidem, nec Sacramentum fidei susceperint, atamen cum in extremo judicio videbunt sibi coaequales assumi ad beatitudinem supernaturalem, inde facile intelligunt, se ad eandem beatitudinem esse destinatos: ergo. R. N. Ant. Ex hoc enim, quod quis videat coetaneos assumi ad aliquam dignitatem, non sequitur quod inde cognoscat certitudinaliter, se ad eandem, vel similem dignitatem esse destinatum. Possit ad summum concipere velleitatem, seu desiderium conditionarum similem dignitatem adipiscendi, sed cujus privatio nullam generat tristitiam. Insuper juxta instantiam pueri usque ad extremum judicium nullam tristitiam haberent ex amissa beatitudine, & tantum in ultimo judicio inciperent tritari; quod est inconueniens.

Objicit insuper Franciscus Henno textum D. Thom. in 2. d. 33. q. 2. art. 2. ubi dicit: *Quidam dicunt, quod pueri nullum dolorem sustinebunt, quia in eis ratio adeo obtenebrata erit, ut non cognoscant se amisisse, quod amisserunt: quod probabile non videtur, ut anima, ab omni corpore absoluta, ea non cognoscat, quae saltem ratione investigari possunt, & etiam multo plura. Sed potuisset advertere R. Pater, S. Thom. idem omnino dicere, & referre q. 5. cit. de malo, unde probationem nostram desumimus, & hoc intelligere de naturali cognitione beatitudinis naturalis, quae consistit in adeptione boni perfecti: Sed quod illud bonum perfectum, subjungit, ad quod homo factus est, sit illa gloria, quam Sancti possident, est supra cognitionem naturalem. Unde, quando in textu Objecto dicit, & etiam multo majora, id est, animam separatam cognoscit multo majora naturalia, quam corpori juncta. Sed jam dato parvulos cognoscere beatitudinem supernaturalem, occurrit*

Secunda ratio D. Thom. (*Dist. cit.*) quae sic proponitur: Ex eo quod caret aliquis eo, quod suam proportionem excedit, non affligitur, si sit recte rationis; sed tantum ex hoc, quod caret eo, ad quod aliquo modo proportionatur: sic nullus sapiens homo affligitur de hoc, quod non potest volare sicut avis, vel quod non sit Rex, aut Imperator, cum sibi non sit debitum; affligetur autem, si privaretur eo, ad quod habendum aliquo modo aptitudinem habuit; atque, quamvis homo usum liberi arbitrii habens proportionatus sit ad vitam aeternam consequendam, quatenus per actus proprios ex gratia potest illam mereri, & ideo si ab hoc deficiat, maximus erit ei dolor, quia amittit, quod sum esse possibile fuit; parvuli tamen nunquam fuerunt proportionati ad hoc, quod vitam aeternam haberent, quia nec eis debebatur ex principiis naturae, cum omnem facultatem naturae excedat, nec actus proprios habere potuerunt, quibus tantum bonum consequerentur; & aliunde sunt recte rationis, nulla enim passione, nullo peccato personali obligatur, sed talis est qualis fuit ante mortem, cum per mortem non mutetur, ante mortem autem nullum actum inordinatum habuerunt: ergo nihil omnino dolebunt de ea carentia visionis divinae; imo magis gaudebunt de hoc, quod participabunt multum de divina bonitate, & perfectionibus naturalibus. Nec potest dici, (*Ib.*) quod fuerunt proportionati ad vitam aeternam consequendam, si non per operationem suam, saltem per actionem aliorum circa eos, quia potuerunt ab aliis baptizari, sicut & multi pueri ejusdem conditionis baptizati vitam aeternam consecuti sunt. Hoc enim est superexcedentis gratiae, ut aliquis sine actu proprio praemietur. Unde defectus talis gratiae non magis tristitiam causat in pueris decedentibus non baptizatis, quam in sapientibus hoc, quod eis multae gratiae non sunt, quae in aliis similibus factae sunt. Confirm. (*Ib. de malo*) Nulla ratio videtur esse, quare subtrahatur pueris exterior poena sensus, si attribuitur eis interior afflictio, quae est multo magis poenalis.

Prob. 2. pars conclusionis: Beatitudo naturalis stare non potest cum aversione a Deo, ut Auctore naturae; consistit enim beatitudo naturalis in libera, & amabili conversatione, ac unione cum Deo ut Auctore naturae; atque parvuli ratione Peccati originalis sunt aversi a Deo, etiam ut Auctore naturae: ergo. Prob. Min. Adam peccando aversus est a Deo, necdum ut Auctore supernaturali, sed etiam ut Auctore naturali, quia, quicumque peccat contra Deum, ut Auctorem supernaturalem, peccat contra ipsum ut Auctorem naturalem, cum lex naturalis praecipiat obedire omni superiori legitime praecipienti; atque talis est pueri aversio habitualis, qualis fuit actualis in Adam, in quo peccaverunt: ergo.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. contra 1. partem. Omne, quod naturaliter desideratur, si non habeatur, quando est tempus habendi, causat afflictionem, & dolorem; atque homo naturaliter appetit beatitudinem; tempus autem habendi ipsam est post mortem: ergo pueri ex carentia visionis divinae, quae est beatitudo, affliguntur. R. 1. (*Q. cit. de malo art. 3. ad 1.*) juxta 1. rationem, quod animae parvulorum in Peccato Originali decedentium cognoscant quidem beatitudinem in generali secundum communem rationem, non autem in speciali. R. 2. Juxta 2. rationem. (*Dist. cit. ad 1.*) Etsi pueri cognoscerent in speciali suam beatitudinem esse sitam in clara Dei visione, non tamen dolerent ex ejus amissione, quia nunquam fuerunt proportionati ad illam, nec illa fuit in eorum potestate.

Inst. 1. Si quis privaretur patrimonio propter culpam parentum, de ejus amissione doleret, licet nec patrimonium, nec culpa parentum fuerint in ejus potestate: ergo similiter. R. N. Conseq. Disparitas est, (*Ibid. ad 3.*) quod ad patrimonium quilibet est naturaliter ordinatus, & naturaliter jus habet ad illud, filius enim est pars Patris, & Parentes filiis thesaurizant; sed ad gloriam parvuli non habent jus, & quamvis ad illam fuerint ordinati in capite, hoc tamen pendeat a beneficio Dei extrinseco, unde de ejus amissione non debent rationaliter tritari. Sic, si quis propter culpam Patris privaretur simul patrimonio, & dignitate sibi in Patre promissa a Principe, secundum rectam rationem doleret de amisso patrimonio, non de amissa dignitate. Adde juxta 1. rationem, parvulos non cognoscere se privatos visione beata.

Inst. 2. De ratione poenae est, quod sit contraria voluntati; atque quod est contrarium voluntati est contristans: ergo. R. 1. (*Q. cit. de malo ad 3.*) Juxta 1. rationem D. Maj. De ratione poenae est, quod sit contraria voluntati actuali, vel habituali, C. Maj. Semper actuali, N. Patet in eo, qui absens, vel ignorans diffamatur, seu spoliatur bonis. Ad ejus sensum, D. Min. Quod est contrarium voluntati actuali, est contristans, C. Voluntati habituali, N. Patet in exemplo posito. Privatio autem beatitudinis est contraria voluntati non actuali, parvulorum, quia eam non cognoscunt; sed habituali, quatenus in primo parente fuerunt ad illam ordinati. R. 2. Juxta 2. rationem, privationem beatitudinis esse respectu parvulorum poenam late sumptam pro non collatione beneficii indebiti: sicut si illiterato, aut plebeo non conferretur Episcopatus, aut Regnum.

Inst. 3. Sic se habent pueri non baptizati ad demeritum Ade, sicut baptizati ad meritum Christi; atque baptizati gaudent propter meritum Christi: ergo non baptizati dolent propter demeritum Ade. R. N. Ant. (*Ib. ad 2.*) Disparitas est 1. quod juxta Apost. Rom. 5. majus sit donum Christi, quam peccatum Ade. 2. Quia acceptio cujuscumque beneficii causat letitiam, & saepe ed majorem, quod magis est indebitum. At privatio beneficii non causat rationaliter tristitiam, nisi sit debitum: alioquin omnes semper dolerent, cum nemo sit, qui non caret aliquo beneficio.

Inst. 4. S. Aug. Serm. de verbis Apost. c. 6. aperte significat, parvulos non baptizatos dolorem & tristitiam habituros, ex hoc quod sint exules a Patria & societate Sanctorum: ergo. R. Aug. loqui in hypothesis Pelagianorum, qui dicebant hos parvulos esse innocentes, mundos, & habentes in se Dei imaginem; ex qua suppositione infert Aug. non posse sine injuria poni a sinistris & excludi a regno, eosque, cum se scirent innocentes, & ad regnum creatos, propter hoc exilium dolorem interiore percipientes: haec autem hypothesis est falsa.

Inst. 3. Saltem negari non potest, quod parvuli tristiterent & doleant, quod se videant in perpetuum inclusos in obscuro carcere, sicut dolent daemones se esse alligatos; erunt enim pueri in limbo, qui est locus subterraneus: ergo. R. N. Ant. 1. quia non detinentur in limbo tanquam in occupate contrarie & agente, ne Deum videant, sicut daemones detinentur ab igne; sed tanquam in simplicitate locante, Deo denegante concursum ad exeundum. 2. Quia non apprehendunt suam detentionem in limbo ut sibi disconvenientem & nocivam, sicut daemones apprehendunt suam detentionem ab igne. Uno verbo, parvuli non detinentur in limbo, damna invitati alligantur in inferno. Unde hi dolent, non illi. Sit exemplum in duobus hominibus, quorum unus ex sententia judicis detinetur invitatus in carcere, alter ibi sponte manet; ille tristatur, non iste.

Obj. 2. Juxta 2. partem conclusionis parvuli non baptizati privantur beatitudine naturali: ergo saltem de ejus privatione tristabuntur, cognoscent enim eam fuisse sibi possibilem. R. N. Conseq. Ad prob. esto parvulos cognoscere beatitudinem naturalem fuisse sibi possibilem, vel non cognoscere se ad eam fuisse ordinatos; cum haec non sit debita homini ab intrinseco, sed ex gratuita Dei voluntate & per auxilium speciale ordinis naturalis; vel si id cognoscant, cognoscent pariter se ad eam fuisse

fuisse ordinatis gratis, nec eam amisisse propria voluntate: nullus autem, si sit prudens & sapiens, tristatur se amisisse id, quod ipsi gratis fuerat promissum, maxime si per ipsum non stetit, ut haberet.

Inst. Homo, juxta communioem Thomistarum, & plurium aliorum sententiam, per Peccatum Originale non solum fuit spoliatus gratiis, sed etiam vulneratus in naturalibus: ergo saltem parvulus dolebit de istis vulneribus. R. Vulnera naturae, ut diximus initio hujus Dissert. ex S. Thom. nihil est aliud, quam impedimentum inclinationis ad virtutem. Hujusmodi autem vulnera pro nihilo reputantur in comparatione infiniti boni, occasione cujus acquirendi fuit inflicta, & ideo nullum causabit dolorem: sicut, v. gr. nemo sapiens tristatur, si alter, ipso inscio, exposuisset & amisisset assem cum bona spe obtinendi ipsi Regno.

Obj. 3. contra 2. partem Conclusionis. Deus in resurrectione & concedit parvulis plura dona gratuita, puta immortalitatem, impassibilitatem, statuum aedulatae, &c. ergo & beatitudinem naturalem. R. N. Conseq. Quia haec dona gratuita in antecedente non sunt impossibilia cum aversione a Deo, ut

Auctore naturae, sicut impossibilis est beatitudo naturalis.

Obj. 4. Parvuli juxta S. Thom. in 2. d. 33. q. 2. art. 2. ad 5. diligunt Deum, ut Auctorem naturae: ergo non sunt aversi a Deo, ut Auctore naturae. R. D. Ant. Diligunt Deum, ut Auctorem naturae dilectione naturali & necessaria, C. Dilectione libera, amabili, efficaci, & perfecta, N. Deus potest considerari dupliciter. 1. Ut quid distinctum ab omnibus aliis entibus, & sic consideratur formaliter ut Deus. 2. Ut quid commune omnibus aliis entibus, & ab illis non separatum, quatenus est omnibus commune principium essendi & conservandi, & sic consideratur ut Deus materialiter. Deus sub prima ratione terminat amorem liberum & amabilem, & iste amor est impossibilis cum aversione a Deo, ut ultimo fine naturali. Sub 2. ratione terminat amorem naturalem & necessarium; eo enim amore, quo quis necessariò diligit seipsum, diligit suum essendi principium; & iste amor est possibilis cum a versione a Deo, ut ultimo fine naturali, ut patet in Daemonibus, qui Deum & suum essendi principium naturaliter & necessario diligunt, & tamen sunt aversi ab eo ut ultimo fine tam naturali, quam supernaturali.

DISSERTATIO VIII.

DE PECCATO MORTALI ET VENIALI, TAM SECUNDUM SE, QUAM COMPARATIVE AD INVICEM.

D. Thom. QQ. 88. & 89.

ARTICULUS I.

Utrum detur Peccatum Veniale, ex natura sua distinctum a mortali?

Peccatum mortale dicitur, quod mortem animae adfert, & est aeterna poena dignum. (*Hic q. 88. art. 2. o.*) Peccatum veniale a poena dicitur. Unde potest aliquod peccatum dici veniale tripliciter. 1. Ab eventu, quia est veniam consecutum; quo sensu Ambros. libr. de paradiso c. 14. dicit, *quod omne peccatum per penitentiam fit veniale.* 2. Ex parte causae, quatenus habet in se aliquid diminuens culpam; quo sensu peccata ex firmitate, aut ex ignorantia dicuntur venialia, licet possint esse mortalia. 3. Dicitur Peccatum Veniale strictè, quatenus non excludit a subjecto principium veniae, quod est gratia, & de hoc Peccato veniali hic est questio.

Haereticis posteriorum temporum, Wicleffus, Lutherus, Melancthon, Calvinus, &c. dogmatizati sunt, omnia peccata ex natura sua esse mortalia, & esse ex se mortis animae & poenae aeternae illativa; de facto autem non inferre Praedestinati & fidelibus ex Dei misericordia; sicque veniale non distinguit a mortali ex natura sua, sed vel ex stata a Deo lege, seu misericordia, vel ex conditione personae peccantis. Ab hoc errore non multum abludivit Gerson 3. p. Tract. de vita spirit. alphab. 61. ubi haec habet apud Serram: *Peccatum Mortale & Veniale in esse tali non distinguuntur intrinsece, sed solum per respectum ad divinam gratiam, quae peccatum istud imputat ad poenam mortis, & illud non: omne enim peccatum culpabile ex sui indigneitate mortiferum est.* Quibus verbis licet non desumat distinctionem inter Peccatum Mortale & Veniale ex conditione personae peccantis, ut Haereticis; in hoc tamen cum iis convenit, quod illam repetat ex sola Dei misericordia, & non ex natura rei. Contra quos omnes, pro assertionem sententiae catholicae, dico: Dantur Peccata Venialia, non solum ex conditione peccantis, ut ex Dei misericordia, sed ex natura sua a mortalibus distincta. (*Ibid. art. 1. & 2. o.*)

Prob. 1. ex Scriptura. In variis Scripturae locis quaedam peccata sine ullo respectu ad personas comparantur rebus levissimis, quaedam gravissimis. Sic Matth. 23. quaedam comparantur culici, quaedam camelo; Luc. 3. quaedam festucae, quaedam trabi; Corin. 3. quaedam foeno & stipulae, superedificatis fundamentum, quod est Christus; atque, si omnia peccata ex se essent mortalia, quaedam male comparerentur istis rebus minutis, dum alia comparerentur rebus gravissimis: non enim minutum & leve dici debet, quod mortem animae & gehennam aeternam ex se inferat. Sicut ergo nec festuca ex se excedere potest: nec culx suffocare, nec foenum, aut palea fundamentum evertere, ita nec peccata istis rebus minutis comparata ex natura sua occidunt, & aeterna morte reum constituunt. Adde, quod, qui superedificat foenum & stipulam, dicitur salvandus quasi per ignem, quod Aug. libr. de fide & operib. c. 25. Ambros. Greg. & alii intelligant de Peccatis Venialibus. Pars Secunda.

nialibus, quae non igne aeterno, sed quasi temporali puniuntur. Item juxta Scripturam, quaedam peccata committuntur a justis perseverantibus in justitia & amicitia Dei Jacob. 3. *In multis offendimus omnes.* 1. Joann. 3. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Prov. 24. *Septies cadet justus, & resurget.* Quae verba licet Aug. intelligat de tribulationibus, tamen Hieron. Beda & alii communiter intelligunt de levioribus & quotidianis peccatis, quibus non admittitur justitia: ergo ex se non sunt mortalia.

Prob. 2. ex Traditione. Concil. Milevit. cui interfuit Aug. definit. can. 7. Sanctos in hac vita non tantum humiliter, sed etiam veraciter dicere: *Dimittite nobis debita nostra:* ergo agnoscit quaedam peccata in Sanctis, quibus non desinunt esse Sancti. Et Epist. Concilii Africani, quae est inter Epistolas Augustini 95. asserit, multos fideles vivere toto tempore vitae sine crimine, neque tamen sunt sine quotidianis & levibus offensionibus: ubi aperte distinguit mortalia a venialibus. Ita etiam aperte docent SS. Patres August. Epist. 108. & libr. 50. Hieron. hom. 19. colligit, esse peccata venialia ex illo Matth. 6. *Dimittite nobis debita nostra.* S. Leo idem colligit ex 1. Corin. 3. cit. Origines hom. 35. intelligit Peccatum Veniale per festucam, Luc. 6. Tertull. libr. de anima cap. 17. per culicem, Matth. 23. August. serm. 29. de verbis Apostoli, *per rugam,* ad Ephes. 5. Concilium Tridentinum eandem veritatem definiit Sess. 6. cap. 11. can. 7. 23. & 25. & Sess. 14. cap. 5. lege. Et tandem SS. Pontifices, S. Pius V. & Gregorius XIII. damnarunt hanc propositionem: *Nullum est peccatum natura sua veniale, sed omne peccatum meretur poenam aeternam.* Est 21. inter Bannas, & videtur coincidere cum Gersoniana.

Prob. ratione multiplici. Prima est fundata in Scriptura. Juxta Scripturam Deus non imputat, nec punit peccata aliter, quam ex se mereantur, ut patet ex illo Ps. 61. *Quis tu reddes inimicis tuis iuxta opera sua.* Et 2. Cor. 5. *Ut referat unusquisque propria corporis, proinde sicut:* ergo, si sint peccata, quae non puniuntur Deo poena aeterna, cum ex se non mereantur. Confirmatur: Summa Dei justitia exigit, ut non imputet peccata aliter, quam sint ex se imputabilia: ergo antecedenter ad Dei imputationem habent ex se, quod sint levia, vel gravia, & quod incurrant reatum poenae aeternae, vel temporalis.

Secunda. (*Ibid. art. 1. o.*) Peccatum est quaedam animi infirmitas, juxta illud Ps. 6. *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum.* Ps. 40. *Sana animam meam, quia peccavi tibi:* ergo, sicut sunt quaedam infirmitates corporis ex se mortales, quae nempe destruunt principium vitae, & quaedam non mortales, quae tantum ad id disponunt; ita sunt quaedam peccata ex se mortalia, quae destruunt gratiam & ordinem ad ultimum finem, quae sunt principia vitae spiritualis; sunt & alia, quae haec principia non destruunt, sed ad id tantum disponunt, ideoque ex natura sua venialia, quia ab intrinseco reparabilia. Tertia: Inter amicos sunt offensa leves, quae ex natura sua, & non solum ex gratia amici non dissolvunt amicitiam: ergo similiter erga Deum. Equis credat, hominem justum & amicum

Dei ex natura verbi otiosi, aut risu superfluo incurtere odium Dei & aeternae gehennae reatum? Quarta specialis contra Haereticos: Adam, David, & S. Petrus erant fideles & Praedestinati; atqui tamen quaedam eorum peccata vere fuerunt mortalia, & ut talia reputata & imputata, scilicet esus fructus vetiti in Adamo, adulterium in Davide, negatio Christi in S. Petro: neque enim puto, quemquam negare Adamum, Davidem, & S. Petrum per haec peccata amisisse amicitiam Dei, & incurrisse reatum poenae aeternae, donec per poenitentiam expiantur. De peccato Adae sic intelligunt Ambros. libr. de parad. c. 9. & Aug. 13. de civit. c. 12. De adulterio Davidis sic censet idem Aug. in Ps. 50. De peccato S. Petri similiter intelligit idem Aug. orat. 66. in Joann. ubi de S. Petro dicit: Mortuus est negando, & revixit plorando: ergo venialia non distinguunt a moralibus ex sola conditione peccantis. Confirmatur: Dignitas personae non minuit, sed auget peccatum, ut probat S. Thom. supra q. 73. art. 1. & nos ex ipso ibidem: ergo peccatum non est idem veniale, quia committitur a Fidei, vel Praedestinato.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Haereticus plures congerunt textus Scripturae, quibus extimant probari omnia peccata ex se mortalia. Praecipuos proponam, quolibet cum succinta responsione. 1. Matth. 5. dicitur: Qui solaverit unum de mandatis istis minimis, & docerit sic homines, minimus (id est nullus, interprete S. Th.) vocabitur in Regno Caelorum. R. 1. id obesse, potiusquam prodesse, objectionibus. Quid enim, si Fidelis, aut Praedestinator solvat unum de mandatis istis minimis, excludetur a Regno caelorum? Id negant Haeretici. R. 2. per mandata minima hic non intelligit minima secundum se, sed secundum falsam opinionem Pharisaeorum, qui dicebant adulterium & odium amicorum esse gravia peccata; concupiscere autem & odisse inimicos esse minima. Adde, quod non sit leve peccatum solvere minima praeccepta, & simul falsa legis interpretatione, ac corruptione docere ea esse solvenda.

2. Si Christus Joann. 13. dicit Petro: Si non laveris te, non habebis partem mecum: quod Aug. & Bernard. intelligunt de iis peccatis, quae dicuntur venialia. R. 1. objectiones sibi contradicere, erat enim Petrus Praedestinator. R. 2. id ad litteram intelligi de lotionis pedum; sed dato intelligi de ablutione venialium, etiam venialia impediunt ingressum Regni caelestis, nisi remittantur, sed habent in se principium veniae. Insuper Petrus pertinaciter resistendo peccasset mortaliter. R. 3. Plures interpretantur, Non habebis partem mecum in Coena. 3. Quicumque peccat quovis peccato, facit contra hoc praecceptum Apost. 1. Corinth. 10. Sive manducatis sive bibitis, sive aliud quod facitis, omnia in gloriam Dei facite: ergo peccat mortaliter (Ibid. ad 2.) R. 1. N. Conseq. Non enim omne, quod est contra praecceptum, est semper mortale; sed id solum, quod sic est contra praecceptum, ut destruat charitatem, quae est finis & plenitudo praeccepti; quod autem charitatem non destruit, non est nisi imperfecte contra praecceptum, & sic est peccatum veniale. R. 2. hoc praecceptum esse affirmativum, quod non obligat pro semper. 4. v. Joann. 3. dicitur: Qui non diligit, manet in morte; atqui, qui peccat venialiter, non diligit ergo. R. 1. ut ante, id patitur spectare Praedestinos. R. 2. To non diligit illo sumi, non negativae, sed contrarie pro actu malo exclusivo charitatis; subiungit enim immediate Apost. Omnis, qui odit fratrem suum, homicida est. Non ergo illic praecipitur actualis & continuata dilectio, alioquin dormientes manerent in morte, sed significatur esse grave peccatum non diligere Deum ex toto corde, ipsi praefereudo aliquam creaturam. 5. Ezech. 18. dicitur generaliter: Anima, quae peccaverit, ipsa morietur. Et Deuter. 27. Maledictus omnis, qui non manserit in omnibus, quae scripta sunt in libro legis, ut faciat ea: ergo, R. iterum haec pertinere ad Praedestinos, sicut ad alios. R. 2. in utroque loco non agi de omnibus peccatis generatim, sed de gravioribus, ut de idololatria, adulterio, homicidio, &c.

Obj. 2. August. 1. 9. Confess. c. 13. Vae, inquit, etiam landabili vita hominum, si remota misericordia discutias eam: ergo ex sola Dei misericordia peccata sunt venialia. R. N. Conseq. Sensus enim Aug. non est, quod iusti propter peccata venialia, quae committunt, sint aeterna poena digni, sed quod peccata etiam venialia retardent ab ingressu Coeli, nisi remittantur per misericordiam Dei, qui posset aut prolixioribus aut acerbioribus poenis illa punire in Purgatorio; sed quas poenas temperat & abbreviat ex misericordia propter Christum, & charitatem, quam servat isti iusti, quippe quae est principium veniae. Hunc esse sensum Aug. patet ex eodem libr. cap. ult. ibi rogat Lectores, ut orent pro Matre sua defuncta, ut consequatur misericordiam Dei. Defunctis enim non remittuntur mortalia, sed venialia dumtaxat. Quod alterius posset obijci ex Pa-

tribus, omnia peccata esse paria, require supra Dissert. 2. art. 2. Obj. 3.

Obj. 3. Omnis offensa in Deum potest a Deo puniri poena mortis aeternae & annihilationis: ergo peccatum, quod dicitur veniale, est tali poena dignum, & non nisi ex misericordia Dei est veniale. Prob. Ant. Quia nulla poena etiam aeterna tam mala est, quam ista offensa, & potius toleranda est quavis poena, quam committenda quantumlibet parva offensa contra Deum: ergo. Ita Gerson loco cit. R. D. Ant. Omnis offensa in Deum potest puniri a Deo ut supremo Domino, & de potentia absoluta poena mortis aeternae, transeat; non enim id omnes concedunt: saltem hoc dato, non potest dici proprie punitio, sed poenalis afflictio: sicut, si Deus de potentia absoluta & ut supremus Dominus, re sua pro libitu utens, annihilaret iustum. Potest puniri a Deo ut iusto Iudice poena mortis aeternae, N. Deus enim ut iustus Iudex secundum Scripturas reddit unicuique secundum opera sua, & juxta mensuram delicti infligit modum supplicii. Unde non potest ut iustus Iudex punire poena aeterna peccatum veniale, quod secundum se non inducit nisi reatum poenae temporalis. Ad probat. Antecedentis, N. Conseq. Quod enim nulla poena tam mala sit, quam quavis offensa Dei, & quod potius sit toleranda quavis poena, quam peccare leviter contra Deum, probat quidem, quod offensa Dei sit altioris ordinis, quam poena, utique ordinis moralis contra rectam rationem & legem, & quod ideo quavis poena sit potius eligibilis, quam quilibet offensa. At non probat, quamlibet offensam superare, aut adaequare in ratione demeriti & juxta exigentiam justitiae vindicativae poenam aeternam, si- que posse puniri quilibet poena, etiam aeterna. Ea enim sola poena peccatum iuste puniri & corripi potest secundum exigentiam justitiae vindicativae, quae est ei proportio et debita ex proprio reatu, quem inducit; parvo autem peccato parva poena respondet, & peccatum veniale ex se non inducit reatum poenae aeternae, ut supra probatum est.

Inst. 1. cum eodem: Remissio cuiusvis peccati est ex Dei misericordia: ergo sistendo intra limites justitiae peccata, quae dicuntur venialia, possunt non remitti, & sic in aeternum puniri. R. D. Ant. Remissio cuiusvis peccati est ex Dei misericordia suo modo debita, C. Omnimode indebita, N. Cum enim peccatum veniale ex se non destruat gratiam & charitatem, quae confert jus ad gloriam, & est principium veniae iis, qui habent tantum veniale, sique servant in se gratiam & jus ad gloriam, non potest non esse aliquo modo & secundum decentiam debita misericordia & remissio illius, neque Deus potest secundum leges amicitiae illam denegare amicis eam petentibus. Quantum ad eos, qui cum veniali debent mortale, per accidens est, quod non sit eis debita misericordia & remissio, scilicet ratione mortalis adjuncti. Uno verbo peccata dicuntur secundum se venialia, non quod non indigeant misericordia, sed quia ex se non excludunt principium hujus misericordiae & veniae, sicut ea, quae dicuntur mortalia.

Inst. 2. Omne peccatum, excludens a Regno Coelesti, est mortale; atqui omne peccatum etiam illud, quod dicitur veniale, excludit a Regno Coelesti, Nihil enim inquinatum intrabit in Regnum Caelorum: ergo. R. D. Maj. Omne peccatum, excludens a Regno irreparabiliter ab intrinseco, est mortale, C. Maj. Excludens a Regno reparabiliter ab intrinseco, N. Maj. Et ad hunc sensum distincta Min. N. Conseq. Peccatum igitur veniale, cum ex se non excludat gratiam, nec dissolvat amicitiam cum Deo, quantum est ex se retinet principium suae reparationis & veniae, & ideo non dicitur proprie excludere a Regno, cum relinquat jus ad illud, sed retardare ab ejus consecutione, donec purgetur a sordibus, & absolvatur a poena, quae non compatitur cum gloria; cuius tamen purgationis & absolutionis retinet principium, ut dictum est. Quod si in infidelibus & peccantibus mortaliter istud principium non remaneat, est per accidens, ut jam dixi, non ratione peccati venialis, sed mortalis adjuncti; & ideo per accidens peccatum veniale conjuncti mortali potest puniri poena aeterna, ut superioris diximus.

Inst. 3. Quodvis peccatum offendit Deum infinito: ergo quodvis peccatum est infinitum, consequenter mortale. R. D. Ant. Quodvis peccatum offendit Deum infinitum, infinite, N. Infinite, vel infinite, C. Solum autem peccatum mortale offendit Deum aliquo sensu infinito, quatenus tollit ab eo rationem ultimi finis, ut dicam infra; non sic peccatum veniale.

Inst. 4. Minimum bonum opus iusti meretur vitam aeternam: ergo minimum malum opus meretur poenam aeternam. R. Concesso Ant. de opere bono ex gratia & charitate elicto, N. Conseq. Disparitas est. 1. Quod hujusmodi opus bonum, licet sit minimum ex parte objecti: est tamen magnum ex parte principii, utpotè opus excellentissime virtutis, scilicet caritatis, cui promissa est vita aeterna. 2. Disparitas est, quod agens ex gratia & charitate habet Deum pro ultimo fine: Peccans au-

autem venialiter non avertit a Deo ultimo fine, nec sisit in creatura ut in fine ultimo, ut dicemus infra.

ARTICULUS II.

Per quid formaliter & primario Peccatum Mortale & Veniale constituantur, & differant?

Suppono, non constitui & differre formaliter & primario per hoc, quod mortale sit contra legem & veniale contra consilium; quia nullum est peccatum, quod non sit contra legem; Ubi enim non est lex, & proinde non sit contra legem; Unde idem Apost. 1. Cor. 7. Si autem acceperis uxorem, non peccasti; & si nuperit virgo, non peccavit: licet tamen id sit contra consilium, opinio contraria tribuitur Scoto. Venim, juxta Scotistas, Scotus intelligit de consilio large sumpto pro omni eo, quod non est simpliciter necessarium ad salutem consequendam.

Aliunde ergo petenda est differentia constitutiva utriusque peccati. Multis autem differunt. Peccatum Mortale est simpliciter contra legem, quatenus est contra finem legis, quem evertit; non sic Veniale: finis autem legis est charitas Dei & proximi 1. Tim. 1. ed enim collantur omnes leges, ut Deum diligamus ex toto corde, & proximum sicut nos ipsos. 2. Peccatum mortale avertit a Deo ultimo fine, & constituit finem ultimum in creatura: Veniale servato ordine ultimi finis facit inordinationem circa media. 3. Peccatum mortale contrariatur gratiae, & charitati, illasque destruit; secus veniale. 4. Peccatum Mortale dissolvit amicitiam cum Deo veniale; minuit. 5. Mortale est contemptus Dei, non veniale. 6. Mortale est mors animae, quatenus tollit gratiam, quae est vita animae; veniale est morbus, & languor animae. 7. Mortale infert deordinationem ex se irreparabilem, veniale deordinationem ex se reparabilem. 8. Mortale inducit reatum poenae aeternae, veniale poenae temporalis. Quaeitur ergo, quae sit inter haec differentia formalis, & primaria inter Peccatum Mortale, & Veniale?

Dico 1. (Q. 7. de malo art. 1.) Differentia formalis, & primaria inter Peccatum Mortale, & Veniale, non in eo sita est, quod mortale inducat reatum poenae aeternae, veniale poenae temporalis; neque quod mortale inferat mortem animae privandam irreparabilem, veniale reparabilem; quia haec omnia sunt potius effectus Peccati Mortalis, & Venialis, quam eorum differentiae constitutivae: ideo enim Peccatum Mortale infert reatum poenae aeternae, mortem animae, deordinationem irreparabilem, quia est mortale, & non contra.

Dico 2. Quantum ad ceteras differentias assignatas, videntur tantum differre terminis, re autem coincidere. Nam esse contra finem legis, deordinari circa finem, averti ab ultimo fine, contemnere Dei amicitiam, contrariari gratiae, & charitati, sunt termini rem eandem significantes sub diversis conceptibus, & formalitatibus; ita ut perinde sit, nostro saltem iudicio, dicere rationem constitutivam Peccati Mortalis, & ejus formalem ac primariam differentiam a veniali in eo sitam esse, quod Peccatum Mortale, vel sit perfectè contra legem, vel quod avertat ab ultimo fine, vel quod sit contemptus amicitiae Dei, vel quod sit contrariatur gratiae, & charitati; & S. Thom. diversis in locis, modo sub una formalitate, modo sub altera, discrimen inter utrumque Peccatum Mortale & Veniale exprimit. Et ratio est; quia, possita, vel transgressione perfecta legis, vel aversione a Deo ut ultimo fine, vel contrarietate ad charitatem, vel contemptu amicitiae Dei, mors animae de se irreparabilis, reatus poenae aeternae, & cetera omnia, quae Peccato Mortali tribuntur, & peccato veniali non conveniunt.

Dices 1. Juxta S. Thom. in pluribus locis, & maxime hic art. 1. o. Peccatum Veniale non est contra legem: Venialiter peccans, inquit, non facit quod lex prohibet, nec praetermittit id, ad quod lex per praecceptum obligat, sed facit praeter legem, quia non observat modum rationis, quem lex intendit: ergo non debet repeti differentia inter peccatum mortale, & veniale, ex hoc quod mortale sit perfectè contra legem, & veniale imperfectè. R. Certo constare, S. Thom. in pluribus locis docere peccatum veniale esse contra legem, hoc sensu quod prohibetur a lege. Nam supra q. 74. art. 10. ad 1. agnoscit, peccatum veniale esse contra rationes aeternas. 2. 2. quaest. 100. art. 3. dicit, omne mendacium esse contra illud Eccli. 7. Noli velle mentiri omnem mendacium; & tamen docet mendacium incommensurabile esse peccatum veniale. Item ibid. q. 86. dicit, quod Religiosus transgrediens suas leges in re non gravi peccat venialiter. Quod ergo dicit hic, quod peccans venialiter non facit quod lex prohibet, nec praetermittit quod lex praecipit, intelligendum est de his, quae lex prohibet, aut praecipit ut omnino necessaria fini legis servando, non autem ea, quae sunt tantum utilia; sique peccatum ve-

niale non esse contra legem simpliciter, & perfectè, quatenus non evertit finem legis, licet sit contra legem imperfectè, hoc sensu, quod prohibetur a lege.

Dices 2. Quaedam peccata mortalia versantur circa media, ut adulterium, homicidium &c. quaedam venialia circa finem, ut motus indeliberatus infidelitatis, blasphemia ex subreptione &c. ergo male constituitur differentia formalis, & primaria inter peccatum mortale, & veniale in eo, quod mortale inferat deordinationem circa finem, & veniale circa media. R. N. Conseq. Quia non est idem deordinari circa finem, & media, & versari circa finem, & media. Deordinari circa finem ultimum est, quando ordo, seu conjunctio hominis cum Deo ultimo fine evertitur, sique homo a Deo separatur, sive actus, per quem fit ista disjunctio, versetur circa finem, sive circa media. Deordinari circa media tantum est, quando homo sic plus aequo afficitur alicui creaturae, ut tamen propter hoc vellet ab ultimo fine recedere, seu ordinem, quo habitualiter est conversus in ultimum finem, pervertere, sive actus, per quem id fit, versetur circa media, sive circa finem. Primam ergo inordinationem importat peccatum mortale, secundam peccatum veniale.

Si istes: Qui peccat venialiter in materia infidelitatis, aut blasphemiae, inducit inordinationem circa finem, afficitur enim inordinatè circa Deum: ergo. R. N. Ant. Ad Prob. D. Afficitur inordinatè circa Deum ut objectum, C. Ut finem ultimum, N. Non enim ita male afficitur, ut vellet a Deo averti & separari tanquam ab ultimo fine.

Dices 3. Privare gratia, charitate, & amicitia Dei, est effectus peccati mortalis; ideo enim homo privatur gratia, charitate, & amicitia Dei, quia ipsum graviter offendit, & peccat mortaliter: ergo peccatum mortale non constituitur per contrarietatem ad gratiam, charitatem, &c. R. D. Ant. Privare gratia, charitate, & amicitia Dei habitualiter sumptis, est effectus peccati mortalis; C. Facere aliquid contrarium gratiae, charitati, & amicitiae Dei, ex quo sequatur aerum privatio, est effectus peccati mortalis, N. Hoc enim nihil est aliud, quam transgredi simpliciter legem, & averti a Deo, ut ultimo fine, & hoc sensu intelligitur conclusio.

APPENDIX.

Petes 1. Utrum peccatum mortale, & veniale essentialiter inter se differant? R. affirmative: Quia malitia peccati mortalis, ut constat ex dictis, consistit in habitu inproportionis ad ultimum finem; malitia autem peccati venialis sitit in habitu inproportionis ad media, fini non absolute necessaria; atqui haec duae habitudines specie differunt: ergo.

Dices 1. Furtum grave, & furtum leve habent idem specie objectum: ergo. 2. Magis, & minus non diversificant speciem, furtum autem grave, & furtum leve differunt solum poenis magis, & minus. 3. S. Thom. supra q. 72. art. 5. docet differentias venialis, & mortalis non constituere diversitatem specificam peccatorum: ergo. R. ad 1. D. Ant. Furtum grave, & furtum leve habent idem specie objectum materialiter, & in esse rei, C. Formaliter, & in esse objecti. N. Nam objectum formale in furto gravi est habitu inproportionis ad ultimum finem, ut dictum est; & in furto levi habitu inproportionis ad media. (Ibid. de malo.) Ad secundum R. Magis, & minus diversificare speciem, quando sequuntur rationes diversas. Ad 3. S. Thom. loquitur de differentia peccati mortalis, & venialis, peita a reatu poenae, quae est accidentaliter, & secundaria, ut dictum est.

Petes 2. Utrum divisio peccati in mortale, & veniale sit univoca, an analogica? (Hic art. 1. ad 1.) R. esse analogam analogiam proportionalitatis, quia peccatum mortale, & veniale inaequaliter participant rationem peccati; mortale perfectè, quia est perfectè contra legem, & simpliciter aversivum ab ultimo fine: veniale imperfectè, quia non est perfectè contra legem, nec avertit a fine, sed deordinat circa media tantum: sicut ergo ens analogice dividitur in substantiam, & accidens, quia ratio entis ab utroque inaequaliter participatur, & ideo accidens dicitur ens ex ordine ad substantiam, siue quo ordine non potest concipi, licet divinitus possit esse sine substantia; ita peccatum veniale dicitur peccatum ex ordine ad mortale; & quantum visus esse sine illo, non potest esse nec concipi sine ordine ad illud.

Petes 3. An, & quomodo mortalia a venialibus possint discerni? R. Velle de omnibus, & singulis certo definire, hoc est mortale, hoc veniale, temerarium est; cum id humanam superet industriam, & Aug. Doctorum Aquila fateatur 21. de civit. cap. ultimo, se, non obstante suo studio, ad id non potuisse pervenire; & in Ench. c. 78. dicat id pensandum potius iudicio divino, quàm humano. Attamen de aliquibus certo, de multis probabiliter defini potest; pro quo a Theologis com-

communiter assignantur tres regulæ, 1. ex Scriptura, 2. ex Traditione, 3. ex ratione naturali.

I. Regula ex Scriptura. Peccata, quæ in Scripturis dicuntur excludere a regno Dei, esse abominabilia, detestanda, execranda, morte digna, aut habent adjunctam aliquam aliam gravem maledictionem, vel quibus dicitur *væ*, sunt mortalia: quæ autem remissionibus terminis efferuntur, sunt venialia. Exempla prioris habes Levit. 24. Proverb. 6. Isa. 5. Rom. 1. 1. Cor. 6. Galat. 5. Ephes. 5. & alibi. Posterioris Proverb. 10. Matth. 12. & alibi. II. Regula ex Traditione. Quæ ex communi sensu Patrum, Episcoporum, & Doctorum habentur in Ecclesia pro mortalibus, censenda sunt mortalia; quæ pro venialibus, censenda sunt venialia: quia jure præsumitur Deum Ecclesiam suam in re tanti momenti non desere, neque permittere, ut in animarum perniciem errore communi decipiantur. Ex hac regula habemus, violationem, jejuniæ Ecclesiasticæ, omissionem Sacri die festo, & similia, esse peccata mortalia; & e contra aliquam partem Sacri omittit, paululum horam refectionis anticipare, esse venialia. III. Regula ex ratione naturali. Peccata, quæ secundum rectam rationem graviter lædunt charitatem Dei, & proximi, sunt mortalia; quæ leviter, venialia. Ad discernendum verò, an graviter, vel leviter lædant charitatem Dei, & proximi, multa sunt consideranda. 1. Natura actus, an admittat, vel non levitatem materiæ, de quo Art. sequenti. 2. Gravitatis, vel levitatis materiæ, tam ex parte objecti, quam ex parte finis, & circumstantiarum, in his quæ illam admittunt. 3. An peccatum sit ex genere suo mortale, vel non. 4. Tenor verborum legis, an severe, & sub gravi poena præcipiat. 5. Quæ fuerit intentio legislatoris in hoc casu. 6. An peccatum sit commissum cum perfecta, vel imperfecta deliberatione, an ex malitia, vel infirmitate, aut ignorantia. Quando autem reputandum sit consensus perfectè, vel imperfectè deliberatus, dicam art. seq. §. 3.

ARTICULUS III.

Utrum Peccatum Veniale disponat ad mortale, possitque fieri Mortale; & e contra Mortale fieri Veniale?

§. I. Prima difficultas resolvitur.

Peccata Venialia sunt triplicis generis. 1. Quædam sunt Venialia ex genere, seu objecto; & illa sunt, quæ secundum se spectata habent pro objecto rem levem, ita ut nisi accedat malitia alterius speciei, non possint fieri Mortalia, ut verbum otiosum, risus immoderatus, mendacium officiosum, &c. 2. Sunt Venialia ex levitate materiæ; & illa sunt, quæ attenda ratione objecti secundum se generatim sumpti forent mortalia, sed quia hic & nunc committuntur in materia levi, sunt Venialia, ut furtum leve, levis detractio, &c. 3. Sunt Venialia ex imperfectione actus, qui non est plene deliberatus, ut motus secundoprimo circa objectum mortaliter malum.

Dico 1. (*Hic q. 88. art. 3. o.*) Peccatum Veniale ex genere disponit indirectè ad mortale ex genere, non directè; ad mortale autem ex parte agentis, disponit directè. Prob. 1. pars, 1. (*Ibid.*) ex illo Eccli. 19. *Qui spernit modica, paulatim decidet.* 2. Dispositio indirecta est per modum removens prohibens; atqui peccatum Veniale ex genere minuit subjectionem voluntatis sub Deo, & fervorem charitatis, ponitque simul obstaculum divinis auxiliis, quibus omnibus homo continetur, & præservatur a peccato mortali: ergo.

Prob. 2. pars. (*Ibid.*) Dispositio directa est ad formam ejusdem speciei, aut per se ei subordinatur; atqui Peccatum Veniale ex genere est diversæ speciei ad Peccatum Mortale ex genere, nec ei per se subordinatur, ut patet, v. gr. in verbo otioso respectu homicidii: ergo. Prob. 3. pars. (*Ibid.*) Ex frequentatis peccatis Venialibus in aliquo genere, v. gr. ex assuetudine ludendi, potest in tantum crescere amor illi, ut tandem propter illum peccetur mortaliter, v. gr. omittatur Sacrum die festo.

Dico 2. Peccatum Veniale ex imperfectione actus, aut ex levitate materiæ disponit directè ad mortale; sic v. gr. parvum furtum disponit directè ad magnum furtum, consensus semiplenus in homicidium disponit directè ad illum; quia quamvis sint diversæ speciei formalis, sunt tamen ejusdem speciei materialis, cum versentur circa idem objectum materiale.

§. II. Secunda difficultas resolvitur.

Dico 1. Actus remanens idem numero in esse naturæ, potest de veniali fieri mortalis: sic consensus imperfectè deliberatus in objectum mortale est peccatum veniale; si cum plena deliberatione physicè continetur, fit mortale. (*Hic art. 4. o. q. 7. de malo art. 3. et alibi*) Actus remanens idem numero in esse moris non potest de veniali fieri mortalis; quia peccatum principaliter consistit in actu voluntatis, sicut quilibet

bet actus moralis. Unde non dicitur unus actus numero mortaliter, si voluntas mortaliter mutetur, etiam actio in esse naturæ sit continua; atqui, dum actus, qui erat antea venialis, fit mortalis; voluntas mortaliter mutatur; si enim non mutaretur, non fieret de veniali mortalis: ergo. Confirmatur: Quod est inferioris ordinis, quantumvis augeatur intra suum ordinem, non potest attingere ad id, quod est superioris ordinis; sic, quantumvis periciatur argentum in suo ordine, non potest attingere gradum auri; atqui actus venialis est inferioris ordinis in esse moris ad peccatum mortale, istud enim est aversivum ab ultimo fine, non illud: ergo idem numero manens in esse moris non potest fieri mortale.

Si dicas, consensus imperfectè deliberatum, & perfectè deliberatum circa idem objectum esse ejusdem speciei, R. 1. N. Suppositum assumpti, non enim est idem objectum formale in esse moris peccati venialis, & mortalis; ut patet ex dictis in præcedenti appendice: R. 2. Hoc dato, non hic agi de unitate specifica, sed numerica actus in esse moris: ad diversitatem autem numericam in genere moris sufficit mutatio ex parte libertatis, quæ est principium moris in actibus nostris. Cætera argumenta vide in Auctore.

Dico 2. Peccatum, quod esset ex genere suo veniale, potest multipliciter fieri mortale ex parte agentis, & circumstantiarum. 1. Ratione finis mortalis, ut si quis dicit mendacium officiosum ex intentione fornicandi: quia tamen istud mendacium suam malitiam mortalem haurit ab intentione mortifera, sufficit illam, vel fornicationem, si sequuta fuerit, accusare dicendo: habui intentionem fornicandi, vel fornicatus sum. 2. Ratione conscientie erroneæ, ut si id, quod facis, existimes esse mortale, cum sit veniale. 3. Ratione gravis detrimenti, sive spiritualis, (quod est scandalum) sive temporalis, quod prævidetur, aut facile potest prævideri securum, ut si ex verbis nimium jocosis, aut æquivoce prævidens aliquem peccatum mortaliter: si ex nimia garrulitate prævidens graves rixas, aut gravem famæ lesionem. Vide plura in Tract. de Act. human. Dissert. 4. art. 9.

4. Ratione periculi proximi peccandi mortaliter, ut si fragilitatem tuam sæpe expertus in conversationibus paulò liberioribus cum personis diversi sexus, iterum frequentes: quo casu debes exponere in confessione peccatum, cujus periculo proximo te exposuisti; quia, qui amat periculum proximum peccati mortalis, convincitur amare ipsum peccatum. Dixi: *Ratione periculi proximi*, de periculo enim remotis non est questio, cum in omnibus rebus, & negotiis reperiantur; & alias omne peccatum veniale fieret mortale, siquidem omne peccatum veniale disponat remote ad Mortale. Periculum autem proximum est illud, in quo quis positus, attentis omnibus circumstantiis, verisimiliter peccabit, sive jam in eo peccaverit, sive non. 5. Si constituitur finis ultimus in peccato veniali, quod fit, quando peccans peccato ex se veniali est actualiter animo dispositus transgredi præceptum obligans sub mortali, potiusquam abstinere a Peccato suo Veniali, v. gr. cum quis est ita ludo addictus, ut paratus sit omittere Sacrum die festo, potiusquam abstinere a ludo. Dixi: *Actualiter animo dispositus*, ita quod tunc actu ita apud se disponat, aut advertens ad suam habitalem dispositionem illam approbet, aut ei non contradicat: quia, si esset tantum habitualis dispositio, ad quam nullatenus adverteret, non videtur peccare mortaliter; sicut enim, non habitibus, sed actibus meremur, ita nec demeremur. 6. Ratione contemptus formalis. In Tract. de Virtutibus Justitiæ annexis Dissert. 2. art. 4. Concl. 1. distinxit post Cajetanum, Sylviu, & alios; duplicem contemptum formalem, unum perfectum: quando quis renuit in toto subijci superiori, ex quovis contemptu ista perviciacia proveniat; & quodvis peccatum etiam in re levi ex tali contemptu est mortale, quia contemnere totam superioritatem est quid grave: alterum imperfectum, quando quis renuit subijci superiori in aliqua re tantum, sive gravi, sive levi, paratus ipsi obedire in aliis: & talis contemptus in re gravi est mortalis, in re levi venialis; nisi forte contemptus esset de Deo, aut ejus de præcepto, quia tunc esset blasphemus.

Est tamen alia sententia non improbabilis, quæ dicit, contemptum formalem, id est, contemptum rei præceptæ, ut præceptæ, seu superioris, ut superioris, etiam in re levi, esse mortalem, licet contemnens esset paratus in aliis obedire. Ratio potissima hujus opinionis est; quia superior humanus tenet locum Dei; qui autem contemneret Deum, aut ejus præcepta, etiam in re levi, imò & ejus consilia, peccaret mortaliter: ergo pariter, qui superiorem aut præceptum humanum in re levi contemnit. Unde Luc. 10. *Qui vos spernit, me spernit.* Confirmatur ab humanis: Rex injuriam irrogatam suo Legato sibi factam reputat: ergo Deus sibi factum reputat contemptum superioris, qui est quasi ejus Legatus. Hæc, inquam, sententia est probabilis. Responderi tamen potest, contemptum esse diversæ rationis secundum diversam excellentiam personæ, quæ con-

contemnitur: quia, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 104. art. 2. ad 4. *Reverentia*, cui opponitur contemptus, directè respicit personam excellentem, & idè secundum diversam rationem excellentiæ diversas species habet. Sicut ergo reverentia, quæ debetur excellentiæ superioris humani (quamvis in aliquo tenet Dei locum), est diversæ rationis, & longè minor, quam quæ debetur excellentiæ divinæ; ita illius contemptus est diversæ rationis & longè minor, quam contemptus Dei. Id etiam patet in humanis: Quamvis enim Legatus representet personam Regis, longè tamen major reverentia exhibetur Regi in se, quam in suo Legato; & longè major censeretur contemptus Regis in propria persona, quam in suo Legato. Ad locum Scripturæ; non agitur ibi de contemptu formali, & specialiter sumpto, sed de contemptu generaliter sumpto, prout importatur in omni peccato, ita ut sensus sit: qui vobis obedit, mihi obedit; qui vobis inobedit, mihi inobedit.

Dico 3. (*Hic ibid.*) Quantumvis multiplicentur peccata venialia, nunquam possunt efficere unum peccatum mortale, nec illi æquivalere. Est communis contra Glossam in cap. *Tres sunt* de penit. d. 1. quæ auctoritate Pontificia delata est tanquam erronea. Ratio est; quia, quantumvis multiplicentur peccata venialia, non possunt avertere ab ultimo fine; non enim primum avertit, non etiam secundum quod est ejusdem rationis, & sic de sequentibus. Neque possunt inferre reatum pænæ æternæ, quæ in infinitum distat a pœna temporalis, quam demeretur peccatum veniale. Confirmatur: Ecclesia docet, necessariò esse confitenda omnia mortalia, non venialia etiam multiplicata, alioquin, cum nesciatur quousque debeant esse multiplicata, ut efficiant unum mortale, statim ac quis plura commississet, teneretur in dubio confiteri, quod est falsum, & contra præxim Ecclesiæ.

Dico 4. Aug. Tract. 12. in Joann. dicit: *Minuta plura peccata occidunt*: ergo. R. D. Ant. *Minuta plura peccata occidunt* dispositivè, C. efficienter, N. (*Ibid.* ad 1.)

Inst. Juxta eundem Aug. plura minuta peccata occidunt, sicut multæ guttæ aquæ subintrantes navim eam demergunt; atqui multæ guttæ aquæ efficienter demergunt navim: ergo. R. D. Maj. *Ly sicur* dicente aliquam paritatem, C. dicente omnimodam paritatem, N. est ergo paritas quoad effectum, sed est disparitas quoad modum: & ita se explicat Aug. serm. 88. de Tempore.

Repones: Plura minuta furta constituunt unum furtum mortale: ergo. R. N. Ant. Non enim plura minuta furta constituunt unum furtum mortale, sed ultimum furum supponens plura minuta furta præcedentia, & cum eis mortaliter connexum est peccatum mortale. Idem dic de pluribus levibus omissionibus in Horis Canonicis unius diei, de pluribus levibus commensationibus in una die jejuniæ, & similibus. Vide, quæ de hac re dixi de Jure & Justitiâ Dissert. 2. art. 4.

§. III. Tertia difficultas resolvitur.

Dico: Peccatum, quod ex se esset mortale, potest fieri veniale ex duplici capite. 1. Ex imperfectione actus, qui non sit plene deliberatus. 2. Ex levitate materiæ. (*Hic art. 5.*) Ratio 1. partis est; quia ad peccatum mortale, quo homo avertitur a Deo, & incurrit reatum pænæ æternæ, non minus requiritur actus perfectè voluntarius & liber, quam sit actus meritorius vitæ æternæ; talis autem non est sine perfecta deliberatione ex parte intellectus, & sine pleno consensu ex parte voluntatis. Ratio 2. partis est; quia leges regulariter obligant juxta conditionem materiæ, quæ leviter, ubi materia est gravis; leviter, ubi est levis; consequenter transgressio in re levi est levis offensio.

Ad primum caput reduci possunt quedam causæ, quæ dum sunt integre, excusant a toto, si parum ab integritate deficient, excusant a toto & a mortali, v. gr. ignorantia invincibilis excusat a toto; si sit vincibilis, sed leviter, excusat a mortali. Item metus gravis excusat a toto in his, quæ sunt mala quia prohibita; si non sit omnino gravis, sed proxime accedat, excusat a mortali; & sic de similibus. Ratio est; quia, cum in his moralibus difficillimum sit, attenda humana fragilitate, punctum attingere, & levem defectum vitare, non videtur rationi congruum hominem ad id sub mortali obligari.

Specialiter observanda pro praxi.

Petes 1. Quid sit perfecta, quid imperfecta deliberatio? R. perfecta deliberatio est, quando intellectus sine turbatione, aut impedimento plene, & distinctè apprehendit & advertit, seu advertere potest, & debet actum & ejus malitiam. Hanc perfectam deliberationem ex parte intellectus sequitur ex parte voluntatis consensus plenus, si detur. Dico: si detur; quia intellectus perfectè deliberante, & advertente actum malum, non raro volun-

tas denegat consensum, quod regulariter contingit in viris timoratis.

Imperfecta deliberatio est, quando quis semi-dormiens, aut semi-ebrius, aut quasi semi-dormiens variis cogitationibus distractus, vel vehementi passione impetitus, non plene & distinctè, sed in confuso tantum apprehendit, aut apprehendere potest actum malum, & illum vitandi obligationem. Et tunc consensus voluntatis sequens est necessariò imperfectus & semiplenus. Itaque signa imperfectæ deliberationis sunt 1. Si fuerit semi-dormiens, aut semi-ebrius. 2. Si quasi semi-dormiens rem tenuit apprehenderit. 3. Si vehementi passione, aut distractione turbatus fueris. 4. Si post factum, rem melius considerans, judices te omnino non fuisse facturum, si ita apprehendisses.

Signa imperfecti & semi-pleni consensus, præter dicta de imperfecta deliberatione, ad quam nunquam sequitur plenus consensus, sunt 1. Si quis plene advertens tentationem statim eam repellit, aut sit ita animo dispositus, ut si facillè posset peccatum exequi, nollet, aut potius mallet mori, quam Deum lethalitè offendere, probabilis est ipsum plene non consensisse; quia affectus plenus & firmus non facillè mutatur, & dum mutatur, facillè advertitur. 2. Qui est timorata conscientie, & solet resistere tentationi, dum eam perfectè advertit, potest in dubio prudenter existimare se non plene consensisse; secus, si sit liberioris conscientie, & solet consentire, quia ex communiter accidentibus prudens est judicium. 3. Qui dubitat, an in somno, vel vigilia motus inordinatos passus fuerit, potest existimare se non plene & deliberatè consensisse; quia, si fuisset plena deliberatio, ipse sciret se fuisse perfectè a somno excitatum. 4. Diuturnitas tentationis non est sufficiens argumentum perfecti, imò nec imperfecti consensus, potest enim diu durare tentatio, repugnante voluntate.

Petes 2. In quibus peccatis datur, vel non datur levitas materiæ excusans a mortali? R. non datur levitas materiæ excusans a mortali in peccatis, in quibus, non obstante levitate apparente materiæ, reperitur integra irreverentia divinæ Majestatis, & gravis lesio charitatis Dei & proximi; quia gravitas peccati desumitur ex gravitate irreverentiæ divinæ Majestatis, aut lesionis charitatis: ergo, ubi reperitur gravis sive irreverentia, sive lesio charitatis in parva, sicut in magna quantitate materiæ, remanet gravitas peccati. In iis autem peccatis, in quibus ex diminutione materiæ minuitur gravitas irreverentiæ in Deum, aut lesionis charitatis, datur levitas materiæ excusans a mortali; quia potest ita minui, & decrescere materia, ut non sufficiat nisi ad levem irreverentiam, seu levem lesionem charitatis.

Hinc inferes 1. Non dari parvitatem materiæ excusantem a mortali in peccatis, quæ committuntur directè contra Deum, ut sunt omnia peccata contra Virtutes Theologicas; quia, etsi in re levissima fides Deo deneges, vel de eo desperes, vel eum odio, aut contemptu habeas, aut formalitè blasphemem, graviter ejus veritatem, potentiam, bonitatem, & vana observantia offendis. Inferes 2. In peccatis, quæ sunt contra Religionem, quandoquæ dari, quandoquæ non dari parvitatem materiæ excusantem a mortali. Non datur in superstitione cultus falsi numinis, ut sunt idololatria, divinatio, & vana observantia: idem dic de magia & maleficio, vel in re minima colere falsum numen, aut habere societatem, sive explicitè, sive implicitè, cum diabolo, est gravissima injuria vero Numini illata.

Potest tamen dari in divinatione, & vana observantia levitas actus excusans a mortali: ut si quis tentet divinationem sine expressa demonis invocatione, ex loco vel levitate, non credens eam utilem, sed prorsus vanam & inutilem, aut nesciens ibi esse aliquam demonis invocationem, non peccat mortaliter. Idem esto judicium, si ex somnio, agutrio, & similibus aliquem timorem de futuro concipiat, sed tamen non habeat fidem; aut si semel & iterum faciat, seu omittat aliquid sibi liberum ex tali timore, non tamen vitam & actiones suas ad talium divinationum normam dirigat. Idem dic de vana observantia sanitatum, aut eventuum: ut si quis ex simplicitate, vel ignorantia non crassa, aut ex nimia timiditate recedat a mensa, quia ibi 1. 3. assident, timens inde alicujus mortem; vel si eò quod manè domo egrediens offendat pedem, aut lepus ipsi occurrat, timet infastum iter, & idè domum repetit; vel sibi certò & infallibilitè promittit bonam mortem, si talem Sanctum colat, si talem orationem quotidie recitet.

In superstitione autem cultus indebiti, præsertim superflui, veri Numinis videtur posse dari levitatem materiæ excusantem a mortali: ut si quis oret antè solis occasum, vel cum certo numero, situ, colore candelarum, vel velit audire Sacrum a Sacerdote, qui vocetur *Joannes*, vel repetat *Alleluia*, aut faciat cruces plusquam sit ordinatum ab Ecclesia, vel abstinere a certo opere servili, puta, nendi diebus Sabbathis in honorem B. Virginis, dum aliis operibus servilibus indulget: in his enim

& similibus, secluso contemptu & scandalo, non videtur gravis injuria.

In Simonia non datur parvas materiae excusans a mortalitate, quod vilis est temporale, quod datur in pretium spiritualis, eò magis spirituale vilipenditur. Neque in juramento assertorio, quia est semper gravis irreverentia, & injuria velle Deum esse testem falsi, quasi posset falli, aut fallere etiam in re minima. Secus, juxta sententiam nobis probabiliorum de juramento promissorio, in quo Deus non invocatur testis veritatis, aut falsitatis, sed assumitur quasi sponsor obligationis jurantis, quae obligatio non consistit in indivisibili; sed est major, vel minor juxta rationem materiae majoris, vel minoris momenti, de quo latè dixi in Tract. de Relig. Diss. 5. art. 6. §. 1.

Item datur levitas materiae in voto, sive sit materia totalis, sive pars materiae totalis voti; de quo etiam vide ibid. Dissert. 4. art. 3. Concl. 3. In sacrilegio, quod fit ex directa intentione inhonorandi res sacras, non datur levitas materiae propter contemptum formalem rei sacrae, qui reducitur in Deum. Factum autem ob alium finem admittit levitatem materiae excusantem a mortali: sic furtum leve in loco sacro est peccatum veniale.

Inferes 3. dari levitatem materiae excusantem a mortali in peccatis, quae sunt contra praecepta secundae tabulae, seu quae sunt contra proximum & seipsum, & contra praecepta Ecclesiastica, ut in furto, verberatione, latione, detractione, contumelia, maledictione, ira, vindicta, avaritia, ambitione, gula, jejuniis Ecclesiasticis, &c. Quia in his, quod minor est materia, eò minor est injuria sibi, aut proximo facta. Excipe 1. nisi materiae praecepta, aut prohibita sit gravis & indivisibilis, ut in homicidio; vita enim hominis est magnum bonum & indivisibile: item in omissione Communionis Paschalis, est enim materia gravis & indivisibilis; & in similibus. Excipe 2. materiam veneream directe volitam, de qua latè in Tract. de Temperant. Dissert. 5. art. 2. Vide.

Petes 3. unde estimanda est gravitas, vel levitas materiae in his peccatis, quae illam admittunt? R. Quosdam illam estimare comparativè ad materiam totalem, ita ut quarta pars totius, secundum illos, sit materia gravis; minus quàm quarta pars sit materia levis. Non distinetur, id quandoquè contingere; sed non potest assignari pro regula generali, quippe quae deficit in multis. Omissio enim unius Horae, puta Completorii, est longè minus quàm quarta pars totius Officii, & tamèn secundum omnes est materia gravis. Similiter in furto centum aureorum, unus aureus est pars centesima, & tamèn materia gravis. Ità in pluribus aliis. Melius ergo desumenda est gravitas, vel levitas materiae ex hoc, quòd secundum judicium prudentum & Doctorum graviter, vel leviter conducatur ad finem gravem legis, ita ut illa materia sit gravis, quae graviter conducatur ad finem legis; levis, quae leviter, sive sit tertia, sive quarta pars, sive vigesima, sive centesima pars totius. Dixi: secundum judicium prudentum & Doctorum; quia ab ipso maximè pendet discernere, quae materia graviter, aut leviter conducatur ad finem legis.

Hinc inferes, quòd omittit unum Psalmum communem in recitatione Horarum sit materia levis; omittit unum Nocturnum, aut unam Horam integram, etiam si parvam, sit materia gravis: laborare similiter per unam horam die Festo, materia levis; ultra duas horas materia gravis: omittit Missam usque ad Epistolam, secundum alios usque ad Evangelium, materia levis; tantumdem omittit ab Offeritorio usque ad Communionem, materia gravis: omittit in Missa Gloria in Excelsis, aut Credo, materia levis; tantumdem omittit in Canone, materia gravis: non tamèn omittit nomen unius Sancti est materia gravis, ut quidam dicunt; sine enim fundamento negaretur dari levitatem materiae in Canone, & idèò omittit paucula verba, sive speciale Communicantes, aut aliquam crucem, vel inclinationem secluso scandalo & contemptu formali, est materia levis. In die jejunii extra refectonem & collationem sumere tres, aut quatuor bolos, materia levis; sumere quartam partem refectonis, materia gravis: item sumere frustulum carnis materia levis; sumere tria aut quatuor frustula, materia gravis: omittit unum, aut alterum Pater & Ave juratum, aut voto promissum, sive sit totalis materia voti, sive partialis, materia levis; omittit Rosarium quinquè decadam, materia gravis: sumere unum aut alterum haustum vini contra juramentum, vel totum non bibendi, materia levis; bibere lagenam, materia gravis; & sic de caeteris. De voto, vel juramento non ludendi, vide Tract. de Relig. Dissert. 5. art. 6. Pet. 4. Ratio horum omnium est; quia secundum commune judicium prudentum & doctorum, illa leviter, ista graviter conducunt ad finem legis; & idèò in unoquoque praecepto, vel lege, bene perpendendum est, quis sit ejus finis, & saepe recurrere ad communem estimationem & judicium prudentum.

Notandum tamèn circa tempus, quo incipit, aut desinit obli-

gare lex, v. gr. jejunii, non dari levitatem materiae, ita ut si immediatè post auditum 12. nocturnum diei veneris, aut immediatè ante 12. Dominicæ, manduces carnes, sit materia gravis & peccatum mortale; quia istud praeceptum negativum obligat tota die jejunii, semper & pro semper, excludendo omnem partem istius diei a comestione carniùm. Idem videtur dicendum de tempore a Jure requisito ad suscipiendos Sacros Ordines, Professionem emitendam, matrimonium inendum, &c. Neque obstat, quòd communiter dicitur: *Quod parum distat, nihil distare videtur*; hoc enim axioma non valet in rebus taxatis a Jure, quae consistunt in indivisibili; & ita sensus communis apprehendit.

Specialia circa Lectionem & Detentionem Librorum prohibitorum, similisve casus, & censuras eis annexas.

Circa lectionem Librorum prohibitorum, non videtur regulariter admittenda sententia Toleti generaliter asserentis, quòd legere unam, aut alteram lineam sufficiat ad peccandum mortaliter, & incurrendam censuram, eò quòd haecis possit contineri in uno, vel altero versiculo. Respondetur enim, in Lege, praesertim penali, attendi id, quòd communiter accidit; communiter autem non imminet periculum subversionis ex tam modica lectione. Itaque eadem regula servanda est in hac materia, sicut in praecedentibus, scilicet inspiciendus finis prohibitionis, qui est vitare periculum subversionis: unde, qui aperto libro videns haeresim, vel errorem contra Fidem legit paucas lineas, peccat mortaliter, & censuras incurrit, quia periculo se exponit, & contra totum finem legis agit. At verò, si advertat materiam esse indifferentem, puta historicam, aut politicam, legendo unam pagellam, non videtur peccare mortaliter, nec censuras incurere, quia non se exponit gravi periculo, nec graviter agit contra finem legis. Id tamèn non est consulendum, quia sermo haereticorum serpit, ut cancer.

Idem dicendum est de retentione Librorum prohibitorum; quia idem est finis, nempe vitare periculum subversionis; ex retentione enim sequitur periculum legendi, ex lectione periculum subversionis; unde eos detinere ad unum, vel alterum diem videtur materia levis excusans a mortali & a censura; imò, si adesset aliqua causa rationalis, aut impedimentum, vacaret omni culpa. Si quis verò concipiat voluntatem absolutè detinendi, sed paulò post revocet, & libros dimittat, peccavit mortaliter ratione male voluntatis, sed non videtur incurrisse censuram; quia censura non fertur in peccatum internum, quale fuit voluntas retinendi, sed in actum externum, seu actualem retentionem, quae, ut supponitur, fuit levis.

Idem de aliis casibus, quibus annexa est censura, seu reservatio: quamvis peccatum internum sit mortale, si tamèn peccatum externum excusetur a mortali ob levitatem materiae, censura non incurritur, nec reservatio; quia tam censura, quàm reservatio non feruntur nisi in peccatum mortale effectum externo consummatum.

ARTICULUS IV.

Quis sit Finis ultimus tam peccatis mortaliter, quàm venialiter?

§. I. Prima difficultas resolvitur.

Dico 1. Creatura est finis ultimus peccantis mortaliter. Est communis cum Auctore (*Hic q. 88. art. 1. ad 4. & q. 89. art. 1. ad 3. & alibi.*) contra Adrianum. Prob. 1. Ex quibusdam Scripturae textibus, qui non aliter quàm ad sensum conclusionis possunt commodè explicari. Jerem. 2. dicitur: *Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquae vivae, & foderunt cisternas dissipatas, quae continent non valent aquas*: quo significatur, peccatore velle satiari, & extinguere sitim in aqua fetida, id est, creatura, relicto Deo fonte aquae vivae. Ad Philipp. 3. *Quorum Deus ventris est*; ubi aliquid creatum habetur pro Deo, id est, pro fine ultimo. Alii textus referentur infra. Prob. 2. Ex Aug. qui in multis locis totam perveritatem vitae humanae collocat in eo, quòd fruatur utendis, & utatur fruentibus. Ità libr. 88. QQ. q. 30. & l. 10. de Trinit. c. 10. Frui autem ex eodem Aug. l. 10. de Civ. c. 10. & l. 1. de Doctr. Chr. c. 4. & 5. est alicui tanquàm fini ultimo adherere; atqui, qui peccat mortaliter, fruatur utendis; non enim utitur illis propter Deum, cum propter illa deserat Deum: ergo.

Prob. 3. ratione: Quod homo perversè amat peccando mortaliter, non amat illud, ut medium, aut ut finem intermedium Deo

Deo subordinatum, alioquin non peccaret; & insuper pater, quia juxta Scripturam Isa. 1. peccando mortaliter spernit Deum, & 1. Reg. 2. derelinquit Deum: ergo amat illud ut finem ultimum, vel ut medium, aut finem intermedium alteri creaturae subordinatum, & illa altera creatura erit illi finis ultimus. Confirmatur: Qui peccat mortaliter, plus appetitive diligit creaturam, quàm Deum. Unde Joann. 12. *Dilexerunt magis gloriam hominum, quàm Dei.* Et Matth. 10. *Qui amat patrem, & matrem, plus quàm me, non est me dignus*; atqui finis ultimus est id, quòd maxime amatur; amatur enim propter se, & caetera propter ipsum: ergo. Sed restat questio, quae creatura sit finis ultimus peccantis mortaliter? Pro quo.

Dico 2. Finis ultimus peccantis mortaliter est ejus bonum proprium, & privatum, non secundum se, sed inordinate amatum usque ad contemptum Dei, & exclusionem gratiae, & charitatis. Est probabilior, & videtur coincidere cum hac altera sententia, quae dicit finem ultimum peccantis mortaliter esse ipsum peccatorem, non personaliter, & secundum se consideratum; sic enim est finis cui, & non finis cuius gratia, de qua est questio, sed ipse peccator ut instructus bonis, quae inordinate amat; v. gr. finis ultimus avari est ipse avarus ut possidet divitias, & quidquid ejus appetitum satiare posse putat: quod in idem redit cum Conclusionibus. Unde S. Thom. in 2. d. 42. q. 2. art. 1. dicit *Quod finis ultimus in amore commutabilium bonorum est ipse homo, propter quem omnia alia quaeruntur: & idèò, si radice peccati accipiatur ex parte ipsius peccantis, erit una; si autem sumatur ex parte eorum, quae propter seipsum peccans quaerit, erunt plures.*

Prob. 1. pars. Illud est finis ultimus peccantis mortaliter, quòd propter se amat, & sub ratione cuius caetera amat; atqui peccans mortaliter amat proprium, & privatum bonum propter se, & caetera bona particulatim, quae prosequitur, amat ratione propria, & privati boni: ergo. Major est definitio finis ultimi. Prob. Min. In omni peccato mortali peccans amat bonum commutabile, quia in eo reperit, vel apprehendit, vel imaginatur aliquam sibi convenientiam, & commodum; vel enim apprehendit istud bonum sibi deservire, & sic apprehendit ut sibi bonum: vel apprehendit se debere servire illi bono, sicut Idololatrae colebant Idola pro Diis; & sic apprehendit illud servire ut sibi convenientis, & commodum, sicut amicus apprehendit servire amico, ut sibi convenientis, & bonum: ergo quicumque bona particularia prosequitur peccans mortaliter, illa amat sub ratione boni proprii, & privati.

Prob. 1. pars. Finis ultimus peccantis mortaliter est oppositus Deo, & irreferibilis in ipsum; atqui bonum proprium, & privatum secundum se non est oppositum Deo, & irreferibile in ipsum, sed tantum ab hoc praescindit; ut autem inordinatè amatum usque ad contemptum Dei, & exclusionem gratiae, est oppositum Deo, & irreferibile in ipsum: ergo. Ex quo inferes, non omne, quòd facit peccator, esse peccatum mortale, quin imò quandoquè esse bonum mortaliter, ut colere parentes, solvere debita, &c. Licet enim hoc in peccatore actu explicite non referatur in Deum, non sunt tamèn ex se irreferibilia, quin etiam virtualiter implicite referuntur, ut dicam alibi. Hic etiam habet solutionem objectionum, quae fieri possunt.

§. II. Secunda difficultas resolvitur.

Quaeritur 1. Quomodo sit intelligendum dictum frequens S. Thom. scilicet, peccatum veniale in justo referri habitualiter in Deum ut in ultimum finem? Ità enim S. Doct. hic quaest. 88. art. 1. ad 2. & 3. 2. 2. quaest. 24. art. 10. ad 2. in 1. d. 1. quaest. 3. art. unico ad 4. & quaest. 7. de malo art. 1. ad 4. R. Hoc dictum diversimodè a Thomistis intelligi. Cajetanus 2. 2. cit. illud intelligit, quatenus peccatum veniale non destruit habitum charitatis, qui ex natura sua est efficax ad referendum omnia in Deum, etiam ipsum peccatum veniale, si esset referibile; unde, quòd de facto in Deum non referat, non est ex defectu ipsius habitualis charitatis, sed ex eo quòd tale peccatum sit incapax hujus relationis. Alii interpretantur, quatenus peccatum veniale referatur ad ipsum, qui peccat, seu ad proprium bonum; quòd bonum in justo per habitum charitatis est habitualiter relatum in Deum. Ità Alvarez, Medina, &c. Alii intelligunt, peccatum veniale in justo referri habitualiter in Deum, non directè quasi fiat propter Deum, sed indirectè, & quasi permissivè, quia est in potestate charitatis illud impedire, & impedire de facto, si ejus fini adversaretur. Ità Salmanticenses. Huic interpretationi affinis est intelligentia Joann. a S. Thom. Disp. 1. de ultimo Fine art. 7. §. 2. dicentis, peccatum veniale in justo referri habitualiter in Deum, quantum peccans venialiter vi istius actus non vult offendere Deum graviter, nec destruere charitatem, nec tollere a Deo rationem ultimi finis; quae non destructio charitatis, non

ablatio ultimi finis, cum sit carentia mali, idèòque aliquod bonum, insit aliquo modo in ipsum actum venialiter malum non quidem positivè, sed moraliter, & permissivè.

His omnibus dicendi modis in sua probabilitate relictis, videtur nobis, S. Thomam, dum dicit peccatum veniale in justo referri habitualiter in Deum ut in ultimum finem, nihil aliud velle, quàm quòd peccatum veniale in justo compatitur charitatem habitualement, eamque non excludat. Quia relatio habitualis, ut dixi Dissert. 1. de ultimo fine art. 5. dicit puram concomitantiam alicujus habitus cum actu absque ullo influxu, sive actuali, sive virtuali: unde, sicut si justus dormiens recitaret preces, diceretur illas referre habitualiter in Deum propter concomitantiam habitus charitatis; ita, dum peccat venialiter, dicitur peccatum suum referre habitualiter in Deum propter concomitantiam charitatem, quam non expellit; & iste modus coincidit partim cum interpretatione Cajetani. Sed

Quaeritur 2. Quem finem ultimum actualem habeat peccatum veniale? Cum peccatum veniale, saltem ex genere, quando est perfecte deliberatum, sit actio proprie humana, habet finem proximum, siquidem omnis actio humana sit propter finem; neque solum habet finem proximum, sed etiam ultimum, quia finis proximus non influit, neque causat finalitè nisi virtute finis ultimi; sicut causa secunda efficiens non efficit, nec movet nisi virtute primae causae efficientis, ut dicitur est de ultimo fine. Quaeritur ergo, quis sit iste ultimus finis actualis peccati venialis? Certum est enim, non esse Deum.

Quidam dicunt, peccatum veniale habere pro fine ultimo actualem negativè, & operis ipsum objectum creatum, quòd prosequitur: vocant ultimum finem negativè & operis, qui ad ulteriorem finem non referatur, sed ad quem caetera non referantur; vocant finem ultimum positivè & operantis, qui haez duo complectitur, qui scilicet non referatur ad alium, & ad quem caetera referuntur. Sed contra. Haec sententia supponit falsum; est enim falsum, objectum creatum, quòd prosequitur peccans venialiter, esse ejus finem ultimum negativè: 1. Quia quodvis bonum creatum particulare velit peccans venialiter, illud referat ad ulteriorem finem, nempe vel ad privatum commodum, vel ut bene, & beate sit ut sic. 2. Quia istud bonum particulare, quòd prosequitur, vel appetit ut plene satisfiat, & beatificans, vel non: si primum, est finis ultimus, non solum negativè, sed etiam positivè, utpotè ad quòd caetera referantur; si secundum: ergo illud appetit ut subordinatum ulteriori fini perfecte satisfiativo, ad quòd referatur ut ejus inchoatio, & participatio.

Alii dicunt, bonum proprium & privatum esse finem ultimum peccantis venialiter, non simpliciter, & absolute, sed secundum quid, & cum addito, nempe in ratione finis praecise actualis, quia scilicet non excludit charitatem habitualement, per quam referatur habitualiter in Deum. Et si opponas, in peccatore non esse charitatem habitualement, respondet nihilominus bonum privatum non esse finem ultimum simpliciter, quia, inquantum, de ratione ultimi finis simpliciter est, quòd non tantum praescindat à relatione ad ulteriorem finem, sed etiam quòd positivè eam excludat: peccatum autem veniale, etiam in peccatore, licet tendat in bonum privatum ut in ultimum finem actualem, non tamèn excludit positivè relationem in ulteriorem finem, scilicet Deum, quia non est exclusivum charitatis, si in eo esset, sed tantum praescindit ab illa relatione.

Quamvis haec sententia, quae est nostri Gonet, non careat subtilitate, & probabilitate, difficile tamèn concipitur, quomodo actus, qui habet bonum creatum pro fine ultimo actualem, non solum negativè, sed etiam positivè (reijcit enim nobiscum Gonet finem ultimum negativè tantum) id est bonum creatum, quòd appetitur propter se, & omnia alia propter ipsum, non sit exclusivum charitatis, & non avertat a bono in creato ut ultimo fine. Qui enim sic appetit bonum creatum, illud plus amat appetitive, quàm Deum, cum omnia appetat propter ipsum; alias non esset finis ultimus positivè. Quapropter sistendo in sententia, quam elegimus in Tract. de ultimo fine, Dissert. 1. art. 5. R. ad quaestionem, finem proximum peccantis venialiter, sive peccatoris, sive iusti, esse bonum particulare, quòd prosequitur; finem autem ultimum esse beatitudinem ut sic, seu esse bene, & beate: quia sic habetur finis ultimus, non solum negativè, sed etiam positivè; & facile concipitur, quomodo non excludat charitatem, quia iste communissimus finis, cum sit necessariò amatus, & de se indifferens, ut applicetur objecto bono, vel malo, nullam ex se tribuit actu honestatem, vel malitiam, sed ab utraque abstractit. Argumenta, quae possunt in contrarium proponi, require cit. art. 5. de ultimo fine.

ARTICULUS V.

Utrum peccatum mortale in ratione offensæ sit gravitatis simpliciter infinitum?

NOta 1. Peccatum est malum hominis, in quantum cum privatur rectitudine rationis, gratia, charitate, ceterisque virtutibus, & ipsum addicit poenæ æternæ. Est & malum Dei non quidem physice damnificativum, nihil enim reale auferat a Deo, sed inhonorativum, & offensivum per modum contemptus; non solum ratione inobedientiae, sed maxime ratione lesionis juris stricti, quod habet, ut sit finis ultimus omnium actionum humanarum, sicut est earum primum principium; a quo ultimo sine avertitur peccans mortaliter, ipsum constituens in creatura, ut articulo superiori dictum est. Hæc vero injuria consistit in aliqua moralitate, & denominatione, qua persona dicitur lesa, & offensæ, non effectivæ, & entitivæ, sed moralitèr, & secundum æstimationem rectam. Nota 2. Hæc inhonoratio, seu offensæ potest considerari dupliciter, ex parte actus, seu ejus objecti, & circumstantiarum, & ex parte subjecti, scilicet Dei, quem afficit, & in quo moralitèr subjectatur; sicut enim, ut communiter dicitur, honor est in honorante, ita offensæ est in offenso.

Nota 3. (1. p. quest. 50. art. 5.) Esse infinitum simpliciter potest duplici modo intelligi: 1. pro eo quod est infinitum omnibus modis, sicut Deus est infinitus. Et certum est, quod peccatum non sit hoc modo infinitum simpliciter in ratione offensæ; quia peccator potest diversis modis Deum offendere. 2. Modo pro eo quod est infinitum absolute, & sine diminutione, licet non omnibus modis; sicut si daretur linea infinita versus Occidentem, esset infinita simpliciter, hoc est absolute, non tamen omnibus modis; posset enim dari altera linea infinita versus Orientem.

Quæritur itaque, utrum offensæ peccati mortalis, considerata ex parte Dei, quem afficit, sit hoc secundo sensu infinita simpliciter? Quæstio controversa est inter Thomistas.

Dico: Probabilius est, peccatum mortale in ratione offensæ esse gravitatis simpliciter infinitum. Prob. 1. Ex D. Thom. 3. p. quest. 1. art. 2. ad 2. Peccatum, inquit, contra Deum commissum quamdam infinitatem habet ex infinitate divine majestatis: tantò enim offensæ est gravior, quanto major est ille, in quem delinquitur: unde oportuit ad congruam satisfactionem, ut actus satisfactorius haberet efficaciam infinitam, utpote Dei, & hominis existens.

Nec te moveat, quod dixerit quamdam infinitatem. Ita enim dixit, quia non est infinita omnibus modis, neque ex parte actus, neque in genere physico, sed morali tantum; n. n. autem, quia non est infinita absolute, & sine diminutione. Patet, partim quia alias inde male inferret necessitatem infinitæ satisfactionis; partim quia sæpe eundem modum loquendi usurpat, ubi constat de infirmitate absoluta. Sic in 2. d. 9. art. 8. ad 2. dicit, gratiam Christi esse quodam modo infinitam: & in 4. d. 14. quest. 2. art. 1. ad 4. passionem Christi esse quodam modo valoris infinitam; & tamen constat, passionem, & meritum Christi esse simpliciter, & absolute infiniti valoris. Idem S. Doctor 2. 2. quest. 65. art. 4. dicit, quod quanto aliqua injuria in plures redundat, ceteris paribus, gravior est peccatum; Et inde est, quod gravior est peccatum, si quis percutiat Principem, quam privatam personam; quia redundat in injuriam multitudinis. Ex quo sequitur, quod peccatum, quod offenderet infinitas creaturas, si darentur, esset infinitum; atqui Deus excedit in infinitum omnes creaturas, etiam si per impossibile omnes possibles essent productæ: ergo peccatum contra Deum est simpliciter infinitum in ratione offensæ.

Quidam proferunt alterum textum ex D. Thom. d. 46. q. 1. art. 3. ubi dicit, quod peccato mortali debeatur poena infinita in acerbitate. Ex quo inferunt, peccatum esse gravitatis infinitum; quia causa continens effectum infinitum est infinita. Sed quia iste textus patitur difficultatem quantum ad mentem D. Thom. de qua vide Dissert. præced. art. 4. §. 1. ideo illi non immoror.

Prob. 2. Ratione desumpta ex principiis positis S. Doctoris. Gravitas offensæ crescit juxta dignitatem personæ, cui irrogatur: sic major est injuria irrogata duci, quam militi, major irrogata regi, quam duci. Et ratio est; quia offensæ moralitèr est in offenso, sicut honor est in honorante, ut fert commune adagium; & revera offensus est patiens injuriam, patiens autem est subjectum recipiens: unde, sicut crescit honor secundum dignitatem personæ honorantis, sic crescit offensæ secundum dignitatem personæ offensæ; atqui dignitas personæ offensæ, scilicet Dei, est infinita simpliciter: ergo.

Neque dicas, offensam crescere secundum dignitatem personæ offensæ, non arithmetice, & secundum æqualitatem, sed

geometricè & secundum proportionem tantum: ex quo solum sequitur, offensam Dei esse superioris ordinis ad offensam creaturarum. Contra est enim, quod idem Deus confert offensæ contra ipsum commissæ, quod sit superioris ordinis; atqui non solum est superioris ordinis, sed & infinitus, ergo etiam confert offensæ contra ipsum commissæ, quod sit infinita; non est enim minus potens conferre infinitatem, quam superioritatem ordinis.

Si reponas impediri, ne communicet infinitatem ex limitatione conatus peccantis. R. Hanc limitationem esse in genere physico, & infinitatem offensæ in genere morali. Hæc autem limitatio physica non impedit infinitatem moralem; sicut, licet actiones Christi theandricæ essent physice finitæ, ratione tamen suppositi divini erant infinitæ moralitèr, & in esse valoris. Confirmatur: Conatus peccantis non solum est finitus, sed etiam inferioris ordinis ad Deum offensam; atqui non obstante hac inferioritate Deus communicat illi gravitatem superioris ordinis, ut dicunt adversarii: ergo, licet sit infinitus, potest illi communicare infinitatem.

Obj. unum peccatum est altero gravitatem in ratione offensæ; Deus enim magis offenditur uno peccato, quam altero, v. gr. odio sui, quam violatione jejunii: ergo non est infinitum in ratione offensæ; infinito enim non datur majus. R. D. Ant. Unum peccatum est gravius altero in ratione offensæ considerate ex parte actus, seu ejus objecti, & circumstantiarum, C. Major est enim malitia actus odii Dei, v. gr. quam violationis jejunii: Considerate ex parte personæ offensæ, N. Sub hac enim consideratione sunt omnes infinitæ, & æquales. Sicut valor actionum Christi theandricarum, consideratus ex parte objecti erat finitus, & inæqualis; consideratus autem ex parte personæ infinitæ erat infinitus, & in omnibus æqualis.

Inst. 1. Malitia, seu offensæ ex parte actus, ex concessis, est finita: ergo etiam considerata ex parte personæ. Prob. Conseq. Offensæ personalis sequitur ex offensæ, seu malitia objectiva: ergo. R. N. Ant. Ad Prob. D. Ant. Offensæ personalis sequitur ad malitiam, seu offensam objectivam tanquam ad causam, N. Tanquam ad aliquid præsuppositum, C. Equidem necessario prærequiritur, quod actus sit malus, alias nulla foret offensæ: attamen gravitas offensæ personalis non causatur ex ipsa malitia objectiva; sed ex dignitate personæ offensæ. Paritas iterum est in actionibus Christi: prærequiritur quidem in iis valor objectivus, ut sit valor personalis infinitus, sed tamen hæc infinitas non æstimatur, nec causatur ex valore objectivo, sed ex dignitate personæ satisfaciens.

Inst. 2. Actus charitatis, sicut & visio beatifica, licet attingant Deum infinitum, ex illo tamen non hauriunt bonitatem, aut dignitatem simpliciter infinitam: ergo, licet peccatum mortale offendat Deum infinitum, non ideo haurit gravitatem simpliciter infinitam; unde S. Thom. in 4. d. 17. quest. 1. art. 3. questione 1. comparat infinitatem peccati cum infinitate visionis beatificæ, quæ est infinita tantum extrinsecè, & secundum quid. R. N. Cons. Disparitas est, quod Deus respectu charitatis, & visionis beatificæ sit objectum tantum, & non subjectum; respectu vero offensæ est subjectum morale. Porro objectum, cum sit actus quid merè extrinsecum, non communicat illi totam suam dignitatem, sed secundum proportionem conatus, qui est finitus. At subjectum, cum sit intrinsecum offensæ, communicat illi secundum moralem æstimationem totum, quod ex se potest; & ideo, ut dictum est, crescit gravitas offensæ secundum dignitatem personæ, cui irrogatur. Paritas semper est in actionibus Christi, quæ deumunt valorem infinitum non ex infinitate Dei, quem habebant pro objecto, sed ex infinitate personæ satisfaciens, quæ erat illorum subjectum. Ad D. Thom. Comparatio tenet quoad ipsam infinitatem, non vero quoad modum infinitatis.

Inferes 1. ergo peccatum mortale, non solum moralitèr, sed etiam physice est gravitatis infinitum. Prob. illatio. Deus, non solum moralitèr, sed etiam physice est infinitus: ergo, Inferes 2. ergo peccatum veniale est etiam gravitatis simpliciter infinitum. Prob. illatio. Respicit Deum ut subjectum, non secus ac peccatum mortale, ergo. R. N. 1. Illationem. Ad probat. D. Deus non solum moralitèr, sed etiam physice est infinitus, & physice peccato unitur, N. & moralitèr tantum peccato unitur, C. Ut autem aliquid sit physice infinitum, non sufficit, quod constituitur per formam physice infinitam, sed requiritur insuper, quod physice illi unitur; Deus autem non unitur physice peccato, sed moralitèr tantum, in quantum secundum moralem æstimationem accipitur ut subjectum injuriæ, quæ ideo crescit secundum ejus dignitatem. Ad 2. Illationem, pariter illam N. Ad probat. D. Peccatum veniale respicit Deum ut subjectum, & est capax infinitatis in ratione offensæ, N. Et non est

DE PECCATIS.

est capax infinitatis, C. Cum enim peccatum veniale sit injuria imperitæ, & secundum quid tantum, quia non tollit rationem ultimi finis, quamvis in Deo subijetur, non tamen ab illo accipit infinitatem: Forma enim non communicat subjecto, nec subjectum formæ, nisi effectum, cujus est capax. Sic si substantia divina uniretur hypostatice creaturæ irrationali, illam non sanctificaret, quia sanctitatis est incapax.

ARTICULUS VI.

Utrum homo in statu innocentie potuerit peccare venialitèr?

Quidam generatim affirmant de omni peccato veniali, sive ex subreptione, sive ex genere, sive ex levitate materie. Quidam concedunt tantum de peccato veniali ex genere, & ex levitate materie; negant de peccato veniali ex subreptione. Alii negant generatim de omni peccato veniali: sed dicunt, hanc impeccabilitatem, saltem quoad peccatum veniale ex genere, & ex levitate materie, non provenire vi doni justitiæ originalis, sed ex speciali providentia, qua Deus impediēbat, ne primus homo peccaret venialitèr. Ita Suárez cum quibusdam aliis. Communis sententia Thomistarum est, hominem in statu innocentie nullius generis peccatum veniale committere potuisse, hancque impeccabilitatem habuisse vi ipsius doni integritatis, seu justitiæ originalis, quo inferiora firmius subijebantur superioribus, donec supremum, scilicet ratio, subijceretur Deo. Pro quo advertunt cum Auctore, (Q. 15. de verit. art. 2.) rationem, quamvis sit una in homine, habere tamen duo munia, & sic esse virtualitèr duplicem. Vel enim attendit rationes superiores, & æternas ultimi finis, Legis divinæ, &c. & dicitur ratio superior. Vel attingit tantum temporalia, & ea quæ sunt ad finem, & dicitur ratio inferior. Dicunt itaque, firmitatem ordinis, & subordinationis in justitia originali consistere in hoc, quod vires partis sensitivæ subijcerentur rationi; ratio inferior superiori, & superior Deo; ita ut, quando ratio superior maneret subdita Deo, nil inordinatum posset contingere sive in ratione inferiori, sive in potentis partis sensitivæ. Quod bene advertit; est enim totum fundamentum resolutionis sequentis. Unde

Dico: Homo in statu innocentie non potuit ullo modo peccare venialitèr, antequam peccaret mortalitèr: & hæc impeccabilitas proveniebat vi ipsius doni justitiæ originalis. (Hic quest. 89. art. 3. o. & quest. 7. de malo art. 7.)

Prob. utraque pars. (Ibid.) 1. Peccatum Veniale contingit vel propter imperfectionem actus, sicut subiti motus in genere Peccatorum mortalium, vel propter inordinationem circa ea, quæ sunt ad finem, servato ordine finis, ut sunt venialia ex genere, aut ex levitate materie; atqui nullum horum potuit contingere, quando durabat status innocentie, idque vi illius status: ergo. Prob. Min. Nullum ex his, quæ diximus, potest contingere absque aliquo defectu ordinis; in peccatis sensitiva non est omnino subdita rationi, ut in peccatis venialibus ex subreptione, vel quia ratio inferior, quæ est circa ea, quæ sunt ad finem, non ordinatur infallibiliter sub fine, qui tenet summum locum quasi principium in appetibilibus; ut in peccatis venialibus ex genere, vel ex levitate materie; atqui in statu innocentie, & vi illius erat infallibilis ordinis firmitas, ut semper, & infallibiliter inferius contineretur sub superiori, pars scilicet sensitiva sub ratione, & ratio inferior sub ratione superiore, quando summum hominis, quod est ratio superior, contineretur sub Deo; ut patet ex dictis de Peccato Originali, & docet August. 14. de Civitat. cap. 10. ergo vi illius status nulla inordinatio in homine potuit esse, nisi inciperet ab hoc, quod summum hominis, scilicet ratio superior non subderetur Deo, tanquam ultimo fini, quod fit per peccatum mortale. Lege S. Thom. quest. cit. de malo.

Prob. 2. (Hic ib. in arg. s. c.) Quodcumque peccatum veniale est verè malum, & miseræ, meretur poenam, deleri non potest nisi per poenitentiam, tristitiam, & dolorem: generat habitum vitiosum, si multiplicetur; atqui hæc omnia repugnant intrinsecè status innocentie, ut docet Aug. jam cit. & per se patet: ergo.

Obj. 1. Homo in statu innocentie potuit peccare mortalitèr: ergo & venialitèr. Patet Conseq. quia qui potest majus, potest minus in eodem genere. R. D. Ant. Homo in statu innocentie potuit peccare mortalitèr eum destruendo, C. Eo permanente, N. Ant. & Conseq. Ad cujus probat. D. Qui potest majus, potest minus, si nihil obstat, C. Si quis obstat, N. Itaque homo in statu innocentie potuit peccare mortalitèr, quia non erat confirmatus in gratia, & rationem Deo subjectam poterat ab illo ut ultimo fine avertire, quod est peccare mortalitèr; sublata autem subjectione rationis superiori Theol. Billuati. Pars Secunda.

ad Deum, quæ omnia inferiora continebat, secuta est inordinatio inferiorum, & destructio istius status. At Peccatum veniale non destruxisset hunc statum; quia proprium illius status erat subjectio mentis ad Deum, quam non tollit peccatum veniale, nec aliunde dicebat propter levem culpam tantum bonum amitti, sicuti neque nunc gratia amittitur per peccatum veniale. Permanente autem dicto statu, & firmissima subordinatione omnium inferiorum ad rationem superiorem, nullum poterat irrepere peccatum veniale, ut probatum est. (Ibid. ad 3.) Utrumque ergo peccatum repugnat statui innocentie, sed diversimodè; mortale illi repugnat, quatenus illum evertit; veniale illi repugnat, quia non potest esse quæcumque inordinatio cum integritate hujus status.

Inst. 1. Homo in statu innocentie erat liber ad peccandum venialitèr; non peccando enim merebatur: ergo poterat peccare venialitèr. R. D. Ant. Erat liber ad peccandum venialitèr mediato, C. Quia poterat peccare mortalitèr; & per hoc amittere statum innocentie, quo amisso, poterat peccare venialitèr. Erat liber immediatè, N. Quia stante hoc statu necessitabatur ad non peccandum venialitèr. Hæc tamen necessitas, cum esset ex suppositione, quæ ab ipso pendeat, poterat enim destruere statum peccando mortalitèr, non officiebat libertati ad merendum.

Inst. 2. Homo in statu innocentie poterat dicere mendacium officiosum cum juramento: ergo poterat sine juramento. R. N. Conseq. Disparitas habetur ex dictis, quia per primum amisset statum, qui erat amissibilis, non per secundum, sed in eo permanente fuisset inordinatio, quæ erat impossibilis.

Inst. 3. Potuit Deus prohibere Adæ esum de ligno sub veniali, sicut prohibuit sub mortali; atqui Adam poterat hoc præceptum sub veniali transgredi, sicut transgressus est præceptum sub mortali: ergo. R. omnia Majore, D. Min.; atqui Adam potuisset transgredi istud præceptum sub veniali, amisso prius statu innocentie per aliquod peccatum mortale, C. Permanente statu, N. Eadem semper est ratio; quia ob firmitatem ordinis inter potentias inferiores, & superiores non poterat esse deordinatio circa ea, quæ sunt ad finem, priusquam esset deordinatio a fine, quæ fit per peccatum mortale. Omissi Majorem; quia in hypothesi status innocentie videtur repugnare, quod Deus prohibuisset sub peccato veniali, quod durante illo statu non erat possibile.

Obj. 2. Gratia Christi in hoc statu non minus conjungit animam cum Deo, quam justitia originalis; atqui gratia Christi potest compati peccatum veniale: ergo & justitia originalis. R. D. Maj. Gratia Christi non minus conjungit animam cum Deo, quam justitia originalis, & simul habet adjunctam firmitatem subordinationis inferiorum ad superiora, N. Min. Et non habet adjunctam hanc firmitatem, C. Min. & N. Conseq. Quia causa impotentie peccandi venialitèr in statu innocentie non erat justitia originalis, præcisè ut conjungens mentem Deo, sed causans firmitatem ordinis inter omnes potentias, quando illi ipsa remaneret: hoc autem privilegium non habet gratia Christi in hoc statu nature lapsæ.

ARTICULUS VII.

Utrum homo in primo instanti morali usus rationis teneatur se convertere ad Deum; possitque esse Peccatum Veniale cum solo Originali?

Prima difficultas movetur occasione secundæ. S. Thom. enim resolvens art. ultimo hujus Q. 89. peccatum veniale non posse esse cum solo originali, id probat; quia homo teneatur in 1. instanti usus rationis se convertere ad Deum; quod si faciat, justificatur a peccato originali; si non faciat, peccat mortalitèr. Quæritur itaque, an revera detur præceptum se convertendi ad Deum in 1. instanti usus rationis? Et, hoc dato, an peccatum veniale non possit esse cum solo originali?

§. I. Prima difficultas resolvitur.

Nomine usus rationis non intelligimus hic qualemcumque usum rationis, sed plenum, & perfectum, qui sufficit ad deliberandum de rebus gravibus, de eligendo bono, vel malo morali, de constituendo sibi ultimo fine vite, & similibus. Hic autem usus rationis perfectus non simul, & semel acquiritur, sed paulatim, & successivè. Ratio enim, primum carni, & sensibus tota immersa, paulatim emergit, & sensus se evolvit, ut experientia constat. Quantum autem temporis ad id requiritur, an hebdomada, an mensis, an annus, aut amplius, certò definiti non potest. Videbis enim pueros quinquennes, aut sexennes habere aliquid rationis, sed an usum perfectum habeant, merito dubitabis ante septennium vel octennium. Citius

tius advenit illis, quorum organa sunt bene disposita, & in quibus species sensibiles acquisita per accuratam educationem bene ordinantur.

Et hinc jam apparet nemini debere videri miram, aut duram Doctrinam Doct. Angelici de obligatione diligendi Deum, & se ad illum convertendi in primo instanti usus rationis. Quid enim mirum, aut durum, quod puer, non mox ut aliquem usum rationis attingit, sed tunc demum cum post usum rationis imperfectum foret satis diuturnum, quo potuit imperfecte cognoscere Deum, aut bonum virtutis, tandem perveniat ad plenum usum, in quo illum, aut illud diligere, & habere pro fine ultimo teneatur.

Dixi: *Illud, aut illud*; quia duplex distinguitur conversio ad Deum, una explicita, & formalis ad Deum distincte, & explicitè cognitum, sive per fidem, sive per lumen naturale: altera virtualis, & implicita, qua quis proponit vivere secundum rationem, aut amat bonum honestum, in quo Deus ut huius boni Auctor, & finis implicitè continetur. Instans, quo puer, qui pervenit ad perfectum usum rationis, deliberat de ultimo fine sibi præfigendo, non est physicum, sed morale plurimam instantia physica complexiens, quia tamen id fit brevissimo tempore, dicitur instans.

Dico: (*Hic quest. 89. art. 6. o. in 2. d. 42. art. 5. ad 7. q. 5. de malo art. ad 8. et alibi.*) Homo in 1. instanti morali usus perfecti rationis tenetur sub mortali se convertere ad Deum, vel explicitè, vel implicitè, eo modo quo potest, & cum cognoscit, seu, ut dicit Auctor secundum quod in illa ætate est capax discretionis. Ita omnes Thomistæ, quibus subscribunt plures extranei. Prob. 1. (*Hic ibid.*) Id, quod primum occurrit homini ad usum perfectum rationis pervenienti, est cogitare, & deliberare de seipso, ad quem scilicet finem, se suasque actiones sit ordinaturus: ergo tenetur tunc sibi constituere Deum pro fine, si illum explicitè cognoscit, aut bonum suæ naturæ conveniens, nempe bonum honestum, & rationi consonum, in quo Deus implicitè continetur. Prob. Ant. Homo est finis cui omnium concupiscibilium; quia ut dicitur communitè, *Amabile quidem bonum, unicuique autem proprium, Et, Amicabilia, que sunt ad alios, veniunt ex amicabilibus ad se.* respectu autem Dei est medium; atque finis est prior in intentione: ergo quod primum occurrit homini pervenienti ad perfectum usum rationis, est cogitare, & deliberare de seipso quid sibi appetendum, & ad quem finem sit se suasque actiones ordinaturus. Vide Cajet. in hunc locum.

Prob. 2. Est præceptum naturale se convertendi ad Deum, ut ultimum finem, & ipsum super omnia diligendi, quod cum sit affirmativum, non obligat pro semper, sed determinato tempore; atque nullum est tempus, quod sit magis conveniens, & in quo magis obliget, quam primum instans perfecti usus rationis: ergo, si tunc non impleatur, peccatur mortaliter peccato omissionis. Prob. Min. multipliciter: 1. Ex ratione jam facta, quod primum, quod occurrit homini in hoc instanti, sit deliberare de se ipso in ordine ad finem. 2. Dum homo primum pervenit ad usum rationis, mundum tanquam agens morale ingrediatur, & viam vite rationis incipit: ergo tunc maxime teneatur sibi præfigere finem legitimum, nempe Deum, vel bonum honestum, ad quem omnes suas actiones dirigat, alioquin exponitur continuo periculo deviandi, & perendi salutem: sicut, qui prudentè inchoat magnum iter, debet sibi præfigere terminum, in quem tendat. 3. Quia alia tempora assignata a Theologis ad impletionem huius præcepti non ita sunt convenientia; non finis vite, non dies festivi, non tota vita indeterminatè, non susceptio alicujus Sacramenti, non casus martyrii, non urgens tentatio: quia dato quod in his temporibus urgeat obligatio huius præcepti, in quibusdam est per accidens, in aliis non magis, nec ita independentè sicut in 1. instanti vite moralis. Ex his colliges, hoc præceptum non esse novum, nec a S. Thom. excogitatum, ut quidam dicitant, sed esse primum, & magnum mandatum dilectionis Dei, & ultimi finis super omnia, cuius obligationis tempus congruè assignavit Doctor Angelicus.

Prob. 3. Pervenit ad usum perfectum rationis est discernere inter bonum, & malum morale, sicque pro eo instanti intimatur per synderesim lex naturalis dictans bonum honestum esse faciendum, & malum fugiendum: ergo tenetur tunc homo illam legem acceptare, & ei se subijcere proponendo agere secundum illam, sicut, dum lex Evangelica est alicui sufficientè promulgata, tenetur statim eam acceptare, sequè illi subijcere proponendo vivere, & agere secundum illam: ergo.

Petes, utrum etiam teneatur homo in primo instanti usus rationis se convertere ad Deum, ut Auctorem supernaturalem? R. Supposita elevatione illius ad ordinem supernaturalem, per se quidem teneri; sed multos per accidens ab huius præcepti obligatione excusari ratione ignorantie invincibilis Dei, ut Auctoris supernaturalis.

Obj. 1. Durum nimis videtur imponere tantum onus pueris in ea ætate, in qua ut plurimum nondum Deum cognoscunt: ergo. R. 1. Nos in Tract. de Deo, cum communiore sententia, nullam pro illo tempore rationis perfectæ agnovisse ignorantiam invincibilem de Dei existentia. Sed, dato dari pro illo 1. instanti rationis, conclusio non exigit, quod ad Deum explicitè cognitum convertatur, sed vel explicitè, vel implicitè in bono honesto, prout eum cognoscit. Insuper facilius est tunc se convertere ad Deum, quando nulla adhuc passio rationem turbat, & voluntatem allicit, quam cum moribus passionum in provectioni ætate ratio obnubilatur, & voluntas impeditur.

Inst. 1. Salmem puer in isto instanti potest ignorare invincibiliter hoc præceptum, si quidem nunc multi Doctores illud negent, & ignorent: ergo saltè ratione ignorantie invincibilis ab illo excusabitur. R. N. Ant. Quia pervenit ad usum rationis, ut dixi, est discernere inter bonum, & malum morale, ideoque tunc mediante dictamine syndereseos lex naturalis de eligendo bono honesto se practicè, & tam clarè exhibet, ut non possit invincibiliter ignorari. Transacta autem hæc legis naturalis practica propositione, facta ab Auctore naturæ mediante dictamine syndereseos, opus est ad novam ejus cognitionem acquirendam uti ratiocinio, & discursu, qui vel a passionibus, vel rationibus dubitandi aliunde insurgentibus sæpe obnubilatur. Unde fit, quod modo etiam ipsi Doctores possunt istud præceptum ignorare, quod non ignorat puer, cui practice intendatur, ut dictum est.

Inst. 2. Vir ullus est etiam inter Doctos, & timoratos, qui anxius sit, an observaverit istud præceptum, aut de ejus omissione se accuset: ergo. R. plures sequi opinionem contrariam, ut sibi probabiliores. Quantum ad alios, sufficit, si se accusent in communi de omnibus oculis.

Inst. 3. Homo lapsus in peccatum mortale non tenetur sub mortali se statim convertere ad Deum, ut docet S. Thom. ergo nec in 1. instanti rationis. R. N. Conseq. Quia; ut patet ex probationibus conclusionis, non est eadem ratio prioris temporis illius, quo quis deliberat de vita instituenda, & an sit vivendum secundum rationem, & illius, quo, hoc semel posito, deinceps labitur in peccatum.

Inferes: Ex hac sententia sequitur, omnes fermè pueros baptizatos amittere gratiam baptismalem, cum perveniant ad usum rationis, quia vix est unus, qui hoc præceptum impleat. R. N. Ant. & ejus probationem. Sunt enim multi pueri fidelium christianè educati, & probis moribus instructi, qui hoc præceptum adimplent; & ad hoc multum juvat, ait Cajetanus, habitus charitatis, quem receperunt in baptismo: quia, inquit, amor Dei non est otiosus, & inclinatur voluntatem pueri in primo actu morali ad bonum honestum; nisi propter malam complexionem, aut malam assuetudinem antè anni discretionis impediatur. Unde multum interest imbuiere pueros a teneris annis rebus fidei, & religionis, sæpe de Deo, & virtutibus cum ipsis loqui. Ad hæc attendant Parentes, magistri, & tutores.

Obj. 2. Puer in 1. instanti rationis non potest se convertere ad Deum sine auxilio sufficienti; atque non omnes illud habent: ergo. Prob. Min. Vel istud auxilium foret naturale, vel supernaturale; non naturale, alioquin sequeretur, quod homo posset viribus naturæ se disponere ad justificationem, quod Pelagianum est; non supernaturale, quia primum auxilium supernaturale est illuminatio fidei; sicque nulli forent infideles negativè, quod est falsum: ergo. R. N. Min. & ejus probationem: nam utrumque potest dici, nimirum hoc auxilium esse naturale vel supernaturale. 1. Dici potest, quod sit naturale entitativè quidem, sed supernaturale quoad modum, quatenus collatum ex meritis Christi, & indebitum naturæ lapsæ, & sic non sequitur, quod homo possit se disponere ad gratiam per solum motum liberi arbitrii independentè a quavis gratia Christi, ut volebat Pelagius. Potest etiam dici, quod sit supernaturale entitativè: nec tamen inde sequitur non dari infideles negativè; quia istud primum auxilium non est fidei explicitæ, & strictè dicæ, sed quædam illuminatio circa prima credibilia, quæ non impedit infidelitatem negativam circa alia. Hanc solutionem fuisit explicitam require in Tract. de Deo, Dissertatio. 7. art. 8. §. 2. Obj. 5. Inst. 2.

§. II. Secunda difficultas resolvitur.

Dico: Probabile est, peccatum veniale non posse esse in aliquo cum solo originali. (*Ibid.*)

Prob. 1. (*Ibid.*) Si posset in homine reperiri veniale cum solo originali, id contingeret vel ante primum instans rationis, vel in ipso instanti, vel immediatè post. Non ante 1. instans rationis; quia tunc homo caret usu rationis, & libertate, sicque est incapax peccati venialis: non in ipso instanti usus rationis, quia vel convertitur ad Deum, & justificatur a Peccato Originali, vel non convertitur; & sic peccat mortaliter, ut dictum est §. præ-

§. præced. consequenter nec immediatè post 1. instans potest esse veniale cum solo originali. Hæc ratio magis elucidatur ex solutione argumentorum, quæ contra illam proponuntur.

Prob. 2. (*Ibid. in arg. s. c.*) Ab inconvenienti. Si veniale reperiretur in aliquo cum solo originali, non esset locus, in quo iste homo posset puniri: non Lymbus Patrum, quia non est locus punitionis: non Lymbus puerorum, quia ibi solum puniuntur, qui decedunt cum solo originali; nec ibi est poena sensus, quæ debetur Peccato Veniali: non Purgatorium, quia in illud descendunt hi soli, qui moriuntur in gratia: non tandem infernus, quia ad illum solum detruduntur, qui habent peccatum mortale actuale. Neque dicas, ad Providentiam pertinere, ut non moriatur homo habens solum veniale cum originali: nam hoc dato remanet inconveniens, scilicet esse hominem peccatorem in hac vita, cujus statui non respondeat locus punitionis in altera vita. Unde, quamvis non sit admittendus casus, in quo Prædestinatus moriatur in peccato mortali, dum tamen est in peccato mortali, respondet ei Infernus pro loco punitionis in altera vita.

Contra rationem fundamentalem S. Thom. tria opponuntur. 1. Puer prius pervenit ad usum rationis imperfectum, quam ad perfectum, ut diximus in prænotaminibus §. præced. atque imperfectus usus rationis sufficit ad peccandum venialiter, ut patet in moribus secundoprimis, in semi-dormientibus & semi-ebriis: ergo, antequam puer perveniat ad usum perfectum rationis, in quo urget præceptum se convertendi ad Deum, potest peccare venialiter. 2. Instans primum perfecti usus rationis, in quo delibetur homo de ultimo fine, non est instans physicum, sed morale, ut etiam diximus §. præced. proinde complexitur plurimam instantia physica: nihil ergo impedit, quominus puer, antequam ultimatè statuat de fine, dicat in aliquo priori instanti verbum otiosum, aut divertat mentem ad aliquam vanam cogitationem. Supposito, quod puer se convertat ad Deum implicitè in bono honesto, non ideo statim justificabitur a peccato originali; quia ad justificationem juxta probabiliores sententiam necessariè requiritur fides explicita Trinitatis, & Incarnationis, quam tunc non habet. Unde S. Thom. q. 14. de verit. art. 11. ad 1. dicit, quod in tali casu Deus huic puero, vel per internam inspirationem revelaret ea, que sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei Prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium, Act. Non diffiteor, hæc argumenta primo aspectu videri difficilia. Nihilominus

R. Ad 1. In primis, si sit questio de peccato veniali ex genere, seu ex levitate materiæ, (*Ibid. o.*) videtur certum non posse dari usum rationis, qui sufficiat ad tale peccatum veniale, & non sufficiat ad mortale; quia facilius cognoscitur grave malum, quam leve. Sic, qui cognoscit verbum otiosum, mendacium jocosum, furtum unius assis esse malum, a fortiori cognoscit perjurium, homicidium, furtum centum aureorum esse malum. Unde non potest esse difficultas, nisi de peccato veniali ex subreptione & imperfecta deliberatione. Ad quod pariter diffitemur, puerum non acquirere usum rationis imperfectum sufficientem ad peccandum venialiter ex subreptione & indeliberatione, qui non sit sufficientis ad peccandum mortaliter: quia ad peccandum venialiter ex subreptione & indeliberatione non sufficit, quod

agens non delibere perfectè actu; sed requiritur, quod habeat facultatem perfectè deliberandi & dominandi supra singulos suos actus, licet non super omnes: puer autem ante usum perfectum rationis, qui requiritur ad mortale, non habet hanc facultatem; eam autem habet semi-dormiens & semi-ebrius, & quicumque, qui post perfectum usum rationis adeptum peccat venialiter ex imperfectione actus.

At inst. Si semi-dormiens, aut semi-ebrius, vel quicumque peccat venialiter ex indeliberatione, possit perfectè deliberare, jam non peccaret tantum venialiter, sed etiam mortaliter. R. D. Sequelam. Si posset perfectè deliberare potentia expedita, C. Potentia impedita, N. Spectando ergo præcisè facultatem rationis isti sunt in statu perfectè deliberandi & dominandi supra singulos suos actus; sed cum in his solet fortius operari phantasia, & appetitus sensitivus vehementius moveri, occurruntque variz cogitationes, quibus facillè distrahantur; hinc contingit, quod aut inculpabiliter, aut absque gravi culpa non perfectè actu delibent.

Sunt hæc solutiones communes Thomistarum post Cajetanum; quibus addunt Salmanticenses apud Gonet, dato esse aliquam imperfectam libertatem in puero ante perfectum usum rationis; hæc tamen non est ad agendum indifferenter & moraliter, sed physicè tantum; quia ad agendum indifferenter & liberè moraliter debet adesse notitia consonantia, vel dissonantia actus ad regulas morum, quæ non habetur nisi per perfectum usum rationis.

Ad 2. R. cum eodem Cajetano, quod toto illo brevi intervallo, quo puer deliberat de ultimo fine, non possit voluntariè divertere mentem ad verbum otiosum, aut ad aliquid simile absque culpa mortali; quia lege intimata & urgente obligationem præcepti mediante dictamine speciali syndereseos, ab Auctore naturæ impresso, si mentem aliò voluntariè divertat, retardat, & omittit adimpletionem præcepti hic & nunc urgentis, sicut si omittet in fine deliberationis. Unde dicit Auctor (*Ibid. ad 3.*) *a peccato omissionis prædictæ non liberetur, nisi quam cito potest se convertat ad Deum.*

Ad 3. R. Quod Deus hunc puerum per seipsum immediatè illuminabit interius circa mysteria necessariè credenda ad justificationem, ut significat hic S. Thom. in corp. art. sicque statim justificabitur. Neque obstat, quod S. Doctor q. cit. de verit. dicit, hunc puerum fore instruendum per Prædicatorem fidei, qui non potest mitti in instanti; hoc enim non dicit determinatè S. Thom. sed disjunctivè, nempe vel instruendum per immediatam & interiorem a Deo revelationem, vel per Prædicatorem fidei. Insuper potest intelligi de instructione per Prædicatorem quoad ea, que sunt scitu necessaria necessitate præcepti, prius interius revelatis, que sunt scitu necessaria necessitate mediè ad justificationem. Sed dato quod sit de his instruendus per prædicatorem fidei, R. ad misericordem Dei providentiam pertinere, ut præservet hunc puerum a peccato veniali. Neque id gratis dico: 1. Id exigit inconveniens vitandum, de quo in secunda probatione. 2. Decet, ut qui opus per suam gratiam incepti, perficiat; & facienti quod in se est ex auxilio gratiæ, uberiores gratiam necessariam largiatur.